BIBLIA AUREA, SEU LOCI COMMUNES E VETERI ET NOUO TESTAMENTO...

Antonio Rampegollo




6
36 G
28

BIBLIA AVREA,

Seu

LOCI COMMVNES E VETERI ET NOVO TESTAMENTO SECVNdum ordinem Alphabeticum congesti.

OPVSCVLVM

Ex vetustate erutum, summa diligentia reuisum, & omnium Theologiæ studiosorum, maxime CONCIONATORVM *commodis inseruire iussum.*

A

FR. ANTONIO AMPIGOLLO, Ord. Augustiniani, ante centum & amplius annos concinnatum.





COLONIÆ AGRIPPINÆ
Sumptibus PETRI à BRACHEL.

Anno M. DC. XXVIII.



Admodum Reuerendo, Religiosæ pietatis & eximiæ eruditionis D.

D. VVOLTHERO HENRICO STREVESDORFFIO, SS. THEOLOGIÆ DOCTORI COLONIENSI, ORDINArio ibidem Professori, & Ordinis Eremit. S. Aurelij Augustini Priori, & per inferiorem Germaniam Visitatori, &c.



VVM nuper in libellum hunc, ante annos centum & quod excurrit, excusum, incidissem, eumq́; doctis viris inspiciendum dedissem, autores illi mihi fuerunt, vt rursus eundem prelo

ſubijcerem, & toti Chriſtianæ rei. publicæ, inprimis verò Theologiæ ſtudioſis communicarem. Idque tantò lubentius feci, quod eam eiuſdem libri conditionem eſſe intellexerim, vt eo vix quidquã doctius, nihil ſi methodũ ſpectes, compendioſius atq; ordinatius excogitari poßit. Sed vino vendibili ſuſpenſa hedera opus non eſt. Equidem non dubito mecum ſenſuros omnes qui librum hunc peruolutarint.

Eum vero Reuerendæ admodum Tuæ Paternitati dedicandum cẽſui, maximè eam ob cauſſam, quod quum hic ex Ordine veſtro profectus ſit, merito ad eius Ordinis primarium apud nos

vi-

virum reuerti debeat. Taceo ego singularem tuã pietatem, eruditionem eximiam & mores tam Religioso statu dignissimos, quibus effectum est, vt & Prior Augustiniani apud nos Conuentus, & per omnem inferiorem Germaniam Visitator sis constitutus.


Suscipe igitur hilari fronte alumni ex Ordine vestro libellum; meumque hunc conatum, ex sincero & virtutum tuarum obseruantissimo animo procedentem, bonam in partem interpretare. In quo omine desino, Tuamque Admodum Reuerendam Paternitatem Dei Opt. Max. tutelæ, ad Ecclesiæ suæ vtilitatem & mul-

torum Tuamque ipsius salutem commendo. Coloniæ Agrippinæ, postridie Natiuitatis B. Virginis Deiparæ, Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Septimo.

Admodum Reuerendæ Tuæ Paternitati addictissimus,

Petrus à Brachel.

IN-



INCIPIT LIBER MANVALIS AC INTRODVCTORIVS

in Bibliæ historias figurasque Veteris ac Noui Testamenti peroptimus, Aurea Biblia *vocitatus.*

Religiosis atque honestis viris in Christo dilectis fratribus studentibus Neapoli in Conuentu Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, Frater Antonius Ampigollus Ordinis memorati. Salutem dilectioni vestræ postulatam referens, metuo non incongrue ne litus maris arauerim in opere, quod tamẽ multo labore sudoreque condidi, & ne velut insipidum relinquatur mea imperitia causante. Ideoque receptis labruscis vnde racemi decidantur, & ne vestra frustretur intentio, & mea sine fructu anxie peracta opera conticescat, retrahunt tria quæ protuli. Instigat vero largitoris manus, quæ sapientiam præstat paruulis & viris

ris prudentiam postulantibus. Nam sanctarum mentium precibus inclinata, largienda donare nouit, & elargita benedictionis rore perfundens, suscipientis & seminantis culturam abundantius fęcundare. Vrget etiam me ad hoc opus, quoniam noui meam inertiam non latere, cum imperfectum meum viderint oculi vestri. Idcirco sagittæ, quas propriè arcus jacit, præscitæ minus feriunt, præsertim cum meæ tanto amplius imbecillitati teneamini compati, quanto apertius vestra percepit dilectio me modicum quod noui sine arrogantia petentibus impartiri. In huiusmodi figurarum compendio, ne loco refectionis, fastidium generetur, succinctè loquor & clarè, vt mihi propria valetudo permiserit; malens opusculum sub breuitate componere, diuisionibus ac subdiuisionibus lectorum exercitio derelictis, quam nimia prolixitate confundere intuentes. Materias enim distinguam per ordinem alphabeti pauciores & plures in fabrica collocans, vt pauperis ingenij facultas permiserit. Vt autem quæsita facilius occurrant. *Tabulam alphabeticam* posui, Spiritussancti gratia annuente


In hoc

AD LECTOREM.

In hoc enim opuſculo ſi quiſpiam veſtrum legentium vel audientium quiſque me nouerit defeciſſe, meminerit cultoris inutilis fragilitatem, qui licet fruges debiles paucaſque produxerit, mente tamen & corpore fideliter laborauit. Idcirco loco effectus, affectum recompenſans, animam meam Lector ſuperno recommendet agricolæ, vt ſaltem cum hora vndecima operantibus non quod iuſtum fuerit tribuat, ſed quod conſueuit egregia ſuæ miſericordiæ largitate.



INDEX



INDEX
BIBLIORVM
AVREORVM QVO SINGVLA
capita, & res, quæ in eis tractantur, ostenduntur.

De aua-

de ex-

de iu-


de quo-

de ty-




APPRO-

Approbatio.



Vrea hæc Biblia ſacris diuinæ Scripturæ verbis tanquam varietatibus circumamicta, prout relatu virorum fide dignorum cognoui, qui & attentè perlegerunt, & maturè examinarunt; tutò in lucem prodire poſsunt. Coloniæ in peruigilio Natalis B. Virginis Mariæ. Anno 1627.

Henricus Francken Sierſtorpſſius SS. Theol. Doct. Gymnaſii Laurentiani Regens, librorum Cenſor.



BIBLIA AVREA,

SEV


VETVS ET NOVVM TESTAMENTVM

Secundum ordinem Alphabeticum in Locos Communes digesta.

CAPVT I.

De Abstinentia.

Abstinentia est meriti augmentatiua,
Sapientiæ acquisitiua.
Religiositatis ostensiua.
Carnis refrenatiua.
Victoriæ impetratiua.
Orationis auxiliatiua.
Indulgentiæ obtentatiua.
Exempli demonstratiua.



BSTINENTIA primo est meriti augmentatiua; auget enim merita & virtutes. Ideo voluit Dominus parentes nostros primos non omni cibo vti in Paradiso, sed ab aliquo abstinere, vt ex obedientia & abstinentia amplius mererentur, vt habetur *Genes*.2. Propter eandem causam præcepit Dominus filiis Israel, vt à multis cibariis ab-

 stine-

ſtinerent,vt habetur *Leuit*. 11. Abſtinentia valet ad habendam ſapientiam. Moyſes poſtquam ieiunauit & abſtinuit,meruit à Domino legem in mõte Sinai accipere. *Exod* 24. Helias vt liberius & ſapientius prophetaret, vtebatur victu tenui & exili, quando petiit à vidua Sareptana aquam & buccellam panis, 3. *Reg*. 17. Et notandum eſt,quod corui paſcebant Eliam carnibus bis in die; ſed angelus pane & aqua: & hoc ſolum ſemel in die, 3. *Reg* 17. & 19. Danieli propter eius abſtinentiam oſtendit Deus viſiones mirabiles, *Dan*.12. Et eidẽ poſt ieiunium reuelatũ eſt myſterium paſſionis & incarnationis Ieſu Chriſti. Poſt hebdomadas 62 occidetur CHRISTVS, *Daniel*.9. Quia Anna ſeruiebat Domino die ac nocte in ieiunio & orationibus; ideo meruit à Domino prophetare de Chriſto, vt habetur *Luc*. 20. Abſtinere debent Clerici & Religioſi præ cæteris. Ideo vir qui ſolebat conſecrari Domino ab omni eo, quod eum inebriare poterat,abſtinebat. *Num*.6. In horum figura,commendatur abſtinentia Rechabitarum à Domino, qui noluerunt bibere vinum,ſicut pater eorum mandauerat. *Ierem*.35. Propter eius abſtinentiam dicebatur Ioannes Baptiſta ſanctus vltra omnes. Nam ipſe fuit primus religioſus in nouo Teſtamento, cuius cibus erat locuſta & mel ſilueſtre, *Matth*.11. Ideo dixit Chriſtus de eo: *Venit ad vos Ioannes non manducans, neq; bibens vinum*. *Matth*,11. Mittens Dominus diſcipulos ſuos ad prædicandum dixit: *Comedite & bibite,quæ apud illos ſunt*:

los sunt: hoc est sitis contenti de appositis, & ne delicata petatis, *Luc.* 10. Petrus volens ostendere, quod Religiosi discipuli non essent ebrii, dixit: *hi ebrii non sunt, cum sit hora diei tertia. Actor.* 2. Abstinendum est ab esu carnium, maxime Religiosis & Clericis, qui debent carnem suam præ cæteris refrenare. Ideo vxor Ieroboam vadens ad Achiam Prophetam tulit panem & mel, carnes vero non legitur attulisse. 3. *Reg.* 13. Pulmentum & panes, sed non carnes per Abacuc Dominus transmisit Danieli, vt ipse Daniel abstineret à carnibus, *Daniel.* 14. Multum facit abstinentia carnium. patet ex illo, quod Dominus multotiens multiplicauit pisces, & nũquam carnes, de quibus piscibus plures saturauit, vt habetur *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Iohan.* 6. Non legimus Saluatorem nostrum comedisse carnes, nisi de agno Paschali, sed de piscibus comedit & dedit discipulis, *Luc.* 24. *Ioan.* 21. Populo vero Iudaico tanquam carnali, id est, de carne curanti dedit carnes, licet in eorum malum, vt habetur *Numer.* 11. *Exod.* 16. Abstinentia præbet victoriam in temporalibus & spiritualibus bellis: Ideo vxori Manuæ concepturæ Samsonem fortissimum pugnatorem angelus abstinentiam indixit. *Iud.* 13. In 300. viris aquam bibentibus temperatè, Dominus liberauit populum suum, *Iud.* 7. Ob hanc causam populo Israel existente in castris nullus comedit, nisi Ionas contra præceptum Patris, vt habetur 1. *Reg.* 14. Iosaphat rex Iuda victoriam habuit; quia ieiunauit ipse, & aliis ieiunium prædicauit

dicauit, vt habetur 2. *Paral.* 20. Iudith castissima, quia omnibus diebus ieiunauit, de Holoferne tyranno victoriam reportauit, *Iudith* 8. & 13. Filii Israel bis debellati à filiis Beniamin ieiunauerunt & victoriam habuerunt, *Iudic.* 20. Philistæi debellauerunt filios Israel & arcam ceperunt, 1. *Reg.* 4. Postea vero filii Israel fleuerunt & ieiunauerunt, & victoriam habuerunt, 1. *Reg.* 7. Saluator cum diabolo pugnaturus ieiunauit, & ipsum in tribus tentationibus superauit, *Matth.* 4. Abstinentia iuuat orationem. Ideo Tobias dixit: *Bona est oratio cum ieiunio, Tob.* 10. Prædicauit Esdras ieiuniũ; quia petituri erant à Domino viam rectam, 1. *Esd.* 8. Filii Israel timentes potentiam Holofernis ieiunauerunt prius & postea orauerunt, *Iudith* 4. In huius figura Hester locutura Regi Asuero ieiunauit cum ancillis & Mardocheo, *Hester.* 4. Multum valet abstinentia, vt homo possit vigilare & orare. Nam post cœnam increpauit Apostolos Dominus, quia vigilare & orare non poterant, vt habetur *Matth.* 26. Abstinentia meruit indulgentiam peccatorum. Nam temperauit Dominus pœnam Achab, quam ei cõminatus fuerat, propter ieiunium quod seruauit, 3. *Reg.* 21. Niniuitis Dominus pepercit, quia à maximo vsque ad minimum omnes se ieiunio afflixerunt, *Ion.* 3. Abstinere debet homo propter aliorum exemplum. Nam Dauid desideratam aquam de Bethleem allatam sibi, bibere noluit, vt exemplum abstinentiæ aliis demonstraret, 2. *Reg.* 23. Eleazarus maluit occidi,

quam

quàm vetita manducare, vt exemplum aliis præberet, *2. Mach.6.* Septem fratres cum pia eorum matre potius varios cruciatus voluerunt recipere, quàm de esu sacrilego manducare, ne alii similia perpetrarent, *2. Mach.7.* Quamquam esuriret Petrus, tamen immunda noluit manducare, ne exemplum ingluuiei aliis demonstraret. vt habetur *Actor.*10.

CAPVT II.

De Acceptione munerum.

Acceptio munerum vendit libertatis obsequium.
Peruertit veritatis iudicium.
Nutrit proditoris flagitium.
Prabet simonia vitium.
Nocet ad Dei seruitium.
Valet, si munus fuerit proprium.

ACCIPERE non debet homo munera pro impensis seruitiis, quasi seruitia vendens. Ideo Abraham noluit accipere munera, quæ ei obtulit rex Sodomorum pro victoria quã reportauit de inimicis suis, ne seruitium vendere videretur. *Genes.*13. Magister militiæ regis Babylonis non recepit munera pro liberatione ipsius; sed dedit ei munuscula & dimisit eam, *Ierem.*40. Daniel respondit Balthasar regi munera promittenti pro expositione scripturæ; *munera tua tibi sint, &*

dona tua domus tua alteri da, Dan.5. Acceptio munerum peruertit iudiciū & veritatem. Ideo Balaam amicus Balach acceptis muneribus contra iustitiam maledicere populo Dei satagebat, *Num.22.* Munera quæ sibi obtulit fuerunt causa, quòd Dauid sententiam falsam tulit contra Miphiboseth, *3.Reg.16.* Menelaus propter vasa aurea, quæ dedit Andronico, contra iustitiam fecit Oniam occidi; & propter pecuniam quam Ptolomæo promisit, euasit ipse & fecit accusatores occidi, *2.Machab.* 4. Propter pecuniam quam custodes sepulchri Christi acceperunt à principibus Sacerdotum, mentiti sunt corpus Christi furtim ab Apostolis fuisse sublatum, *Matth.28.* Felix præses tenebat Paulum in vinculis, quia sperabat ab eo pecuniam obtinere, e*Actor*, 24. Acceptio munerum generat & nutrit proditionem. Nam Aroth per munera quæ dedit Eglon regi Moab, ipsum proditione occidit, *Iudic.3*, Dalila Samsonem tradidit Philistæis, propter munera quæ recepit ab eis, *Iudic.* 16. Propter munera missa Benadab rex Syriæ rūpit fœdus quod fecerat cum rege Israel eum tradens, 3, *Reg*, 15. Muneribus Tryphonis deceptus est Ionathas, remittens socios, qui fuit proditiose occisus, vt habetur 1 *Machab.*13. Menelaus accepit munera à Iasone, & ipsum postea nequiter supplantauit, 2. *Machab.*53. Acceptio munerum est causa simoniæ ideo de filiis Samuelis dicitur; *Declinauerunt post auaritiam, & susceperunt munera,* 1.*Reg.*8. Quia Giezi recepit munera pro sanatione Naaman

Naaman, accepit eum lepra, 4. *Reg.* 5. Propter munera quæ promisit Jason Antiocho, summum sacerdotium occupauit, 2. *Machab.* 4. Alcimus cupiens fieri summus Sacerdos Demetrio coronam auream præsentauit, 2. *Machab.* 4. Simon magus voluit Spiritum sanctum pecuniâ & muneribus comparare, dicens; *Date etiam mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum, Act.* 7. Accipere possunt munera Deo seruiẽtes & pauperes à diuitibus ad Deum placandum. In cuius figura Iacob misit fratri suo munera, vt placaret eum, *Genes.* 33. Munera obtulerunt filii Israel ad opus tabernaculi, quantum oportebat in opere, *Exod.* 36. In signum quod munera danda sunt Deo, dedit regina Saba Salomoni, centum viginti talenta auri, 3. *Reg.* 10. Interfecto Amon Judæi pauperibus largiti sunt elemosynam, *Hest.* 9. In cuius etiam figura Jonathas dedit Alexandro munera, & inuenit gratiam coram eo, 1. *Machab.* 10. Accipi non debent munera de alieno, sed de proprio, vt Deo sit placitum. Ideo Dauid noluit offerre sacrificium de munere alieno, 2. *Reg.* 4. Rex Achas spoliata domo Domini misit munera regi Assyriorum, sed nihil ei profuerunt, 2. *Paralip.* 28. Magi apertis thesauris suis, non alienis, munera, aurum, thus, & myrrham Deo obtulerunt, *Matth.* 2. Duo minuta pauperculæ viduæ proprio quæsita labore à Domino diuitum muneribus præferuntur, *Luc.* 21.

Capvt III.
De Acidia.

Acidia vitium.
Requirit reprehensionem.
Acquirit transgreßionem.
Inquirit mortis occasionem.
Exquirit punitionem.

Acidiosi reprehendẽdi & solicitandi sunt à Patribus diuinis & Prelatis; ideo Iacob acidiosus filios increpauit & solicitauit, dicens: *quid negligitis, Genes.* 42. Propter hanc causam præcepit Ionas Leuitis, vt essent soliciti, qui negligentes erant, 2. *Paral.* 25. Redarguit Dominus in sua parabola ociosos, & remunerauit operantes, *Matth.* 20. Dormiebat Ionas sopore graui, & gubernator nauis redarguit eum, *Ion.* 1. Redarguit Dominus dulciter discipulos, qui secum vna hora non poterant vigilare, *Matth.* 26. Acidia est causa quasi omnium peccatorum; vnde filii Israel manducantes panem angelorum, attædiati, acidiosi, murmurantes, viles Ægypti cibos desiderare cœperunt. vbi patet, quod acidia fuit eis causa murmurationis, impatientiæ, corporalis desiderii & mendacii. *Numer.* 11. *&* 21. Tempore belli manens Dauid ociosus in domo, adulterium & homicidium commisit, 2. *Reg.* 11. Cum dormirent homines post seminationem seminis, inimicus homo superseminauit zizania, *Matth.* 13. Acidia est causa corporalis

& spiri-

& ſpiritualis mortis. Ideo Siſara iacens opertus pallio, clauo concuſſus eſt in terra à Iahel vxore Abel Cinei, vt habetur *Iud.*4. Samſon dormiens inter genua Dalilæ, fuit captus, catenatus & mortuus, *Iudic.*16. Quia Abner negligenter cuſtodiebat Saul, poterat eum Dauid occidere ſi volebat, *1. Reg.*31. Isboſeth dormiens ſuper lectum, à latronibus Principum occiſus eſt, 2. *Reg.*24. Acidioſos punit Deus grauiter. Nam quandò cœpit populum tædere itineris & laboris, locutus eſt contra Moyſen, dicens: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Ideò miſit Dominus ſerpentes ignitos, qui populum occidebāt. *Numer.*21. Virgines dormientes & lampades accenſas lucidi operis non habentes, à ſponſi cœleſtis nuptiis ſunt excluſæ. *Matth.*25.

CAPVT IV.
De Adoratione Dei.

Adorandus eſt Deus & colendus.
Cum bonorum oblatione.
Cum verborum oratione.
Cum templorum fabricatione.
Credendorum ordinatione.
Idolorum deteſtatione.

ADORANDVS & colendus eſt Deus muneribus bonis. Ideo duobus primis fratribus adorantibus & ſacrificantibus Deo, reſpexit Dominus ad Abel & eius munera, & non ad

Cain: quia ille obtulerat meliora. *Genes.*4. Paratus erat Abraham vnicum filium suum Domino offerre super monte in holocaustum, vt habetur *Genes.* 22. Postquam præceperat Dominus Moysi, quod ipse & Aaron & Leuitæ ascenderent & adorarent, duodecim vitulos obtulerunt *Exod.* 24. Salomon abiit, vt immolaret mille hostias, & ibi apparuit ei Dominus. 3. *Reg.*3. Magi intrantes domum, adorauerunt puerum, & munera obtulerunt. Quid ergo deberent facere Christiani iam regnanti, si gentiles, sic fecerunt paruulo vagienti. *Matth.*2. Adorandus est Deus in oratione. vnde Enoch filius Seth fuit primus, qui orando cœpit inuocare nomen Domini. *Genes.*5. Salomon stetit ante altare, & expandens manus, genubus flexis orauit. 3. *Regum* 8. Leprosus adorauit Dominum orans & dicens: *Domine si vis, potes me mundare. Matth* 8. Mater filiorum Zebedæi accessit ad Iesum, orans & petens aliquid ab eo. *Matth.* 20. Ad adorandum Deum debent fabricari Ecclesiæ & altaria. Ideò Noë ædificauit altare Domino, & de mundis animalibus & volucribus obtulit holocaustum Domino. *Genes.*9. Helchana tantæ fidei erat, quod descendebat de ciuitate sub statutis diebus, vt adoraret Deum in Sylo, 1. *Reg.*1. Rex Dauid cultum Dei in Sacerdotibus & cantoribus ampliauit, 1. *Paralip.*15. Cœcus natus & illuminatus à Deo ait: *Credo Domine, & procidens adorauit eum, Ioan.*9. Adorandus est Deus in tribulationibus & periculis, vt ab ipsis homines liberentur.

Ideò

Ideò filii Israel afflicti in Ægypto audientes, quod respexisset Dominus afflictionem eorum, proni adorauerunt in terra. *Exod. cap. 4. in fin.* Cum dixisset Dominus de percussione Ægypti, inclinatus populus adorauit. *Exod.* 12. Offerente Samuele sacrificium, liberatus est populus à tribulatione Philistinorum. 1. *Reg.* 7. Reuersi filii Israel de captiuitate Babylonis, die ac nocte confitebantur Domino. *Nehem.* 9. Cum audisset Iob nunciorum verba, dicentium ipsi perditionem rerum, adorauit Dominum, dicens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ. Job* 1. Adorandus est Deus solus, & non aliqua creatura. Ideò primum præceptum decalogi fuit: *Non adorabis deos alienos, & non facies sculptile, Exod.* 20. Manue volenti sacrificare angelo, ait angelus: *Si vis offerre sacrificium, offeras Domino, Judith.* 13. Cum irent filii Israel ad vitulos aureos, Tobias fugiebat consortia eorum, & ibat in Hierusalem ad templum, ibi adorabat Dominum Deum Israel. *Tob.* 1. Quamuis esset prohibitum vt nullus peteret aliquid ab aliquo Domino, nisi tantum à Dario: tamen Daniel tribus temporibus Dominum adorabat. *Dan.* 6. Populus qui voluit Paulum & Barnabam adorare, prohibitus est ab eis. *Actor.* 9. Angelus Ioannem prohibuit ne se, sed solum Dominum adoraret. *Apocal. vlt.*

CAP.

Caput V.

De Adulatione & Blanditiis.

Adulatores in adulationibus quærunt complacentiam.
Reperiunt displicentiam.
Tendunt ad infamiam.

Adulatores semper loquuntur ea quæ credunt placere audientibus eos. Ideò Core & complices populo placere volentes, dixerunt: *sufficiant nobis. Numer.* 16. Absalon vt causam in curia patris habentibus complaceret, dicebat cuilibet: *Videntur mihi sermones tui recti.* 2. *Reg.* 15. Prophetæ dicebant Achab prospera de bello futuro, sicut ei complacere credebant, 3. *Reg.* 22. Consiliarij Assueri adulantes ei dixerunt: *Regis iusta est indignatio*: cum tamen temperare eius irã contra reginam potius debuissent. *Hest.* 1. Amici Amon volentes ei complacere, dixerunt: *Iube parari excelsam trabem, Heb.* 5. Alcimus proditor volens placere Demetrio dixit. *Perdidit Iudas amicos suos* 2. *Machab.* 14. Herodi acclamabat populus voces Dei, ei desiderans complacere. *Act.* 12. confestim autem percussit eum angelus Domini, & cõsumptus à vermibus expirauit. Adulatores displicent sapientibus quibus placere credebant per suas blanditias. Nam adolescens narrans Dauid mortem Saulis inimici sui, ei complacere credẽs, fuit in eius visione occisus, 2. *Reg.* 1. Duo latrones

qui

qui occiderunt Isboſeth, & attulerunt caput eius Dauid placere credentes, diſplicuerunt multum & ſimiliter ſunt occiſi, 2. *Reg*. 4. Adulatores laudant in facie, & in abſentia detrahunt & diffamant. Contra quorum conſuetudinem Saluator noſter recedentibus diſcipulis Ioannis cœpit Ioannem multipliciter commendare, quem in eorum præſentia non laudauit, vt lucidè habetur, *Matth*.11. Phariſæi volentes Ieſum capere in ſermone, & poſtea ei detrahere; in facie eum laudare cœperunt, dicentes: *Magiſter ſcimus, quia verax es*, *Matth*.24.

CAPVT VI.

De Ambitione & Ambitioſis.

Ambitioſi ſunt alieni nominis detractores.
Innocentis ſanguinis effuſores.
Præſumptuoſi famæ iactatores.
Cito regiminis ſui deſertores.
Prophani ſermonis ſecutores.
Superbi culminis zelatores.

AMbitio cauſat detractionem. Nam ambitioſi ideò detrahunt alijs, vt ipſi magis appareant. Sic Maria & Aaron ambientes dominium populi, detrahebant Moyſi dicentes: *Nobis locutus eſt Dominus*, *Numer*.12. Chore & complices ambientes dominium populi Moyſi ſimiliter detraxerunt, *Numer*.16. Ambiens Abſalon regnum

gnum detrahebat patri & dixit cuilibet : *videntur mihi ſermones tui recti: ſed non eſt qui te audiat conſtitutus a rege*, 2. *Reg*. 15. Alcimus qui volebat fieri ſummus Pontifex, coram Demetrio detrahebat Iudæ 1. *Machab*. 7. Ambitioſi non timent ſanguinem effundere, & multa mala committere vt liberius valeant dominari. vnde Abimelech procurauit eligi per amicos in Dominum, & poſtea 77. fratrres ſuos occidit, & multa mala fecit. *Iudic*. 9. Parabola Ionathæ de Rhamno vrente ligna ambitioſos & eorum opera mala declarabat. *Iudi*. 9. Ieroboam ambitioſus peſsimè regnauit, & multa mala commiſit, 3. *Reg*. 11. Athalia libidine dominandi, omne ſemen regium interfecit, 3. *Reg*. 11. Ptolemæus vt obtineret regionem, Simonem & eius filios interfecit, 1. *Machab. vlt.* Ambitioſi ſemper mala & præſumptuoſa de ſe loquuntur. Ideo Baal præſumptuoſe dicebat, *vt daret aliquis populum iſtum ſub manu mea & auferrem de medio Abimelech*, quod non fecit, vt habetur *Iudic*. 9. Eleuabatur Adonias dicens : *Ego regnabo*. quod non euenit poſtea, 3. *Reg*. 1. Nabuchodonoſor dixit, cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo imperio ſubiugaret, *Iudith* 2. Dicebat Seron faciam mihi nomen & glorificabor in regno, & debellabo Iudam: & ipſe fuit poſtea debellatus. 1 *Machab*. 3. Ambitioſorum dominium citò tranſit, diuino iudicio. Ideò Zambri qui occidit dominum ſuum, vt regnaret poſt eum, ſeptem diebus tantum regnauit. Ingreſſus eſt enim palatium,

& ſuc-

& succendit se cum domo regia, & mortuus est in peccatis suis, 3 *Reg*.16. Ptolemæus regnum Alexandri voluit occupare ambitiosè, sed parum gauisus est: quia die tertia defunctus est, 1. *Machab*. 11. Ambitiosi vt plurimum sunt Simoniaci. Nam quia Iason summum Sacerdotium ambiebat, ideò promisit Antiocho 368. talenta argenti, & alia multa: tamen modico tempore functus est hoc honore: quia Menelaus, quem ipse ad Antiochum miserat, sciuit in se dictum Sacerdotium retorquere, 2. *Machab*. 4. Simon magus ambiens potestatem dandi Spiritum sanctum, voluit illum pecunia comparare, *Actor*. 7. Ambitiosi & superbi plus dolent de paucis qui non honorāt eos, quàm lætentur de multis, qui eis obediunt & honorant eos. Talis fuit Amon, qui plus dolebat de Mardochæo eum adorare nolente, quàm lætaretur de aliis qui eum quotidie adorabant. *Hest*. 5.

CAPVT VII.

De Amicitia.

Amici habere debent commune gaudium:
Familiare colloquium:
Fidele obsequium:
Malitia tædium:
Salubre consortium.

AMici debent inter se communicare gaudia, & omnia temporalia & spiritualia bona. Ideò La-

gnum detrahebat patri & dixit cuilibet : *videntur mihi ſermones tui recti: ſed non eſt qui te audiat conſtitutus a rege*, 2. *Reg.* 15. Alcimus qui volebat fieri ſummus Pontifex, coram Demetrio detrahebat Iudæ 1. *Machab.* 7. Ambitioſi non timent ſanguinem effundere, & multa mala committere vt liberius valeant dominari. vnde Abimelech procurauit eligi per amicos in Dominum, & poſtea 77. fratres ſuos occidit, & multa mala fecit. *Iudic.* 9. Parabola Ionathæ de Rhamno vtente ligna ambitioſos & eorum opera mala declarabat. *Iudi.* 9. Ieroboam ambitioſus peſsimè regnauit, & multa mala commiſit, 3. *Reg.* 11. Athalia libidine dominandi, omne ſemen regium interfecit, 3. *Reg.* 11. Ptolemæus vt obtineret regionem, Simonem & eius filios interfecit, 1. *Machab. vlt.* Ambitioſi ſemper mala & præſumptuoſa de ſe loquuntur. Ideo Baal præſumptuoſe dicebat, *vt daret aliquis populum iſtum ſub manu mea & auferrem de medio Abimelech*, quod non fecit, vt habetur *Iudic.* 9. Eleuabatur Adonias dicens : *Ego regnabo.* quod non euenit poſtea, 3. *Reg.* . Nabuchodonoſor dixit, cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo imperio ſubiugaret, *Iudith* 2. Dicebat Seron faciam mihi nomen & glorificabor in regno, & debellabo Iudam: & ipſe fuit poſtea debellatus. 1 *Machab.* 3. Ambitioſorum dominium citò tranſit, diuino iudicio. Ideò Zambri qui occidit dominum ſuum, vt regnaret poſt eum, ſeptem diebus tantum regnauit. Ingreſſus eſt enim palatium, & ſuc-

& succendit se cum domo regia, & mortuus est in peccatis suis, 3 *Reg.* 16. Ptolemæus regnum Alexandri voluit occupare ambitiosè, sed parum gauisus est: quia die tertia defunctus est, 1. *Machab.* 11. Ambitiosi vt plurimum sunt Simoniaci. Nam quia Iason summum Sacerdotium ambiebat, ideò promisit Antiocho 368. talenta argenti, & alia multa: tamen modico tempore functus est hoc honore: quia Menelaus, quem ipse ad Antiochum miserat, sciuit in se dictum Sacerdotium retorquere, 2. *Machab.* 4. Simon magus ambiens potestatem dandi Spiritum sanctum, voluit illum pecunia comparare, *Actor.* 7. Ambitiosi & superbi plus dolent de paucis qui non honorāt eos, quàm lætentur de multis, qui eis obediunt & honorant eos. Talis fuit Amon, qui plus dolebat de Mardochæo eum adorare nolente, quam lætaretur de aliis qui eum quotidie adorabant. *Hest.* 5.

CAPVT VII.

De Amicitia.

Amici habere debent commune gaudium:
Familiare colloquium:
Fidele obsequium:
Malitiæ tædium:
Salubre consortium.

AMici debent inter se communicare gaudia, & omnia temporalia & spiritualia bona. Ideò La-

eò Laban vocatis amicis, fecit Racheli nuptias, & desponsauit eam. vt habetur *Gene*.29. Dilexit Dauid Ionathan sicut animam suam, & exspoliauit se tunica sua, & dedit Ionathæ, 1. *Reg*. 18. In huius figura laudauit Dominus villicum iniquitatis, & consuluit nobis facere amicos de Mamona iniquitatis, eis bona nostra communicando gratanter. *Luc*. 16. Patens etiam exemplum de illo, qui vadit media nocte ad amicum, & sibi petit communicari panem. vt habetur *Luc*. 11. Amici debent simul habere de suis negotijs secretum colloquium. Ideò loquebatur Dominus Moysi de agendis sicut solet loqui homo cum amico suo. *Exod*. 28. Vocauit Amon amicos suos ad se, & exposuit eis magnitudinem diuitiarum & filiorum turbam, & prospera & aduersa quæ reputabat se habere. *Hester* 5. Tres amici Job venerunt consolari eum, & loqui secum, *Iob*. 2. Saluator cum dilexisset suos quæ erant in mundo, in finem dilexit eos: & faciens sermonem finaliter locutus est eis. *Iob*. 13. Amici debent esse fideles, & vnus alium nunquam debet deserere, sed verbis & factis inuicem se iuuare; ideo Ruth dixit Naemi: *quo perrexeris pergam, & vbi stabis stabo*. *Ruth*. 1. Fidelis amicitia, sed indiscreta fuit, qua armiger Saul mortuus est cum eo, 1. *Reg*. 31. Vltimo dixit Abner ad Dauid: *fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum*. 2. *Reg*. 3. Chusi amicus Dauid fidelis eum non dereliquit, sed dissipauit consilium Achitophel contra eum, 2. *Reg*. 17. Fideles amici erant Eleazaro

zaro secundum corpus qui ei consulebant ne pateretur. 2. *Machab*. 6. Amicitia tamen malorum est detestanda, quia semper tendit ad malum; ideò Propheta Iehu dixit ad Iosaphat: *His qui oderant Dominum, auxilium præbes, & cum eis amicitia iungeris, ideo iram Dei mereris*. 2. *Paral*. 19. Alcimus proditor factus amicus Demetrii, concitauit eum aduersus Iudam, & fratres eius dicens: *perdidit Iudas amicos tuos*, vt habetur 2. *Machab*. 14. Duo ribaldi & pessimi homines Herodes & Pilatus facti sunt amici in morte Christi. *Luc*. 23. Amicitia contrahenda est cum bonis, sapientibus & potentibus viris. Ideò Rex Alexander scripsit Ionathæ: *Audiui quod potens sis & aptus: esto amicus noster*. *Machab* 9. Misit Alexander ad Ptolemæum Regem, vt faceret secum amicitias, 1. *Machab*. 10. Bonos amicos habuit Paulus, qui rogauerunt eum ne sederet in theatro. *Actor*. 19.

CAPVT VIII.

De Amore Dei.

Amor Dei:
Misericordiam obtinet peccatorum:
Scripturam continet præceptorum.

AMor Dei facit misericordiam obtinere; ideò daturus Dominus Legem Moysi dixit: *Ego Dominus facio misericordiam his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*. *Exod*. 20. Ob hanc

causam post decem repetita præcepta dixit Moysis: *Diliges Dominum Deum tuũ,&c.* Et hoc ideò postposuit, vt si in aliquo præceptorum offendimus, per dilectionem Dei misericordiam habeamus. *Deuter.6.* Amor Dei, principium & finis est omnium mandatorum; ideo dixit Moyses: *Quid petit Deus a te, nisi vt ambules in viis eius, & diligas eũ. Deuteron.* 10. Iosue post alias monitiones dixit populo: *Diligetis Dominum Deum vestrum*: quasi faceret conclusionem omnium præceptorum. *Iosue 23* Paulus etiam dixit: *Si quis non amat Deum, anathema sit* ac si diceret: talis nullum præceptum seruat. 1. *Corinth.* 16. Hoc est etiam quod Paulus dixit: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, & cymbalum tinniens.* vbi ostendit, quod nullum bonum potest fieri sine dilectione Dei: & ipsa habita, non facit homo malum. 1. *Corinth.13.*

CAPVT IX.

De Amore proximi.

Amare debemus proximum:
Spiritualem offerendo orationem:
Singularem ostendendo dilectionem:
Salutarem exhibendo compassionem:
Liberalem faciendo subuentionem.
Personalem dimittendo offensionem.

Amor

AMor proximi ostenditur esse verus, quando pro eo oramus, etiam si sit malus vel inimicus; ideò Abraham solicite & deuote orauit Deũ, vt peccata Sodomitis indulgeret: quod fuit signũ magnæ dilectionis, vt habetur *Genes.*18. Tantam dilectionem habuit Moyses erga proximos, vt orans pro eis, diceret Domino: *aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro in quo me scripsisti.* ecce quanta dilectio. *Exod.*33. Dominus etiam monuit nos orare pro proximis, non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis, dicens: *Orate pro persequentibus vos. Matth.*6. Amare debet homo proximum sicut seipsum; ideo reprehensus est grauiter Cain, qui dixit se nõ esse custodem fratris sui. *Genes.*4. Moyses ita dilexit quemlibet de populo suo, sicut seipsum, ita vt optaret quemlibet prophetizare, sicut ipse, licet in hoc honor suus diminui videretur. *Num.*11. Noluit ipse Moyses maiorem populum, quam Dominus sibi promittebat; eo quod sicut se, quemlibet de populo diligebat. *Num.*14. Anima Ionathæ colligata erat animæ Dauid, & dilexit eum sicut animam suam, 1. *Reg.*18. Amare debet homo proximum suum ostẽdendo ei compassionem in eius aduersitatibus. Sic filii Israel post occisionem filiorum Benjamin compatientes fleuerunt. *Iud.*3. Sanctus Propheta Dauid ostendit cõpassionẽ dilectionis, scil. in planctu Saulis, 2. *Reg.*1. Hoc idem ostendit in planctu scilicet Ionathæ, 2 *Reg.*1. Ostendit hoc etiam idem in filio licet malo, in fletu quẽ fecit in morte Absalonis, 2. *Reg.*18.

Amare debet homo proximum, ſubueniẽdo ei in neceſſitatibus ſuis; ideò magnam dilectionem habuit Neemias ad filios tranſmigrationis in multis, quia amicabiliter fecit eis. *Neem. per totum.* Tobias etiam multum proximos diligebat, qui multis multa beneficia exhibebat. *Tob.* 1. Hunc amorem Samaritanus perfectè habuiſſe oſtenditur, qui vulnerato & ſemiuiuo relicto multa beneficia eſt elargitus. *Luc.* 10. Amare debet homo proximum iniurias dimittendo: in cuius ſignum dixit Dominus Petro: *Dimitte fratri tuo non tantùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, Matth.* 18. Miram dilectionem habuerunt ad proximos Chriſtus & Stephanus, qui non ſolum dimiſerunt iniurias, ſed etiam pro perſecutoribus orauerunt, *Luc.* 22. *Actor.* 7.

Caput X.


De Amore Carnali.

Amor conſanguinitatis non debet impedire,
Bonorum diſtributionem,
Dolorum mitigationem,
Supernorum præpoſitionem,
Diuinorum reuelationem.

AMore carnalis conſanguinitatis non debet Prælatus bona Eccleſiaſtica & alia diſtribuere, ſed ſolum amore meriti virtutis; ideò Moyſes diſtribuens Leuitis boues & plauſtra, nullum dedit filiis Caath ſibi carnem propinquis. *Numer.* 7.

Non

Non legimus Moyſen aliquod magnum officium dediſſe alicui de filiis ſuis. *Exod. Leuit. Numer. Deuter.* Migraturus Moyſes rogauit Dominum, vt populo ſuo prouideret de duce idoneo: nullum autem de filiis aut conſanguineis nominauit. *Numer.* 27. Diſtribuens Joſue terram Iſraelitis, minorem partem dedit tribui ſuæ, *Ioſua* 17. Joannem & vtrumque Iacobum Chriſti fratres non dimiſit Dominus caput Eccleſiæ fieri, ſed ſolum Petrum, *Ioann.* 21. Amari debent in tantum non conſanguinei, vt nimius dolor de eorum morte habeatur; ideò Heli audiens mortem filiorum, non eſt viſus multum curare, ſed ſolum de captione Arcæ, 1. *Reg.* 4. Dauid etiam mortuum filium paruulum non plorauit, ſed gaudium potius demonſtrauit, 2. *Reg.* 12. Joab increpauit Dauid de nimio fletu in morte Abſalonis filii ſui, 2. *Reg.* 19. Mater illa mirabilis ſeptem filios mori videns, non oſtendit dolorem, ſed eos mirabiliter confortauit, 2. *Machab* 7. Amari debent conſanguinei moderate, vt eis ſemper præponantur diuina; ideò Iudæi præliaturi contra Nicanorem plus timebant de templo & diuinis quam de vxoribus & filiis, 2. *Machab. vlt.* Loquente Ieſu ad turbas, cum quidam dicerent adeſſe matrem & fratres, reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. Matth.* 12. *Luc.* 8. Amor carnalis conſanguinitatis impedit conſolationes diuinas; ideò dixit Chriſtus Petro:



Caro & Sanguis non reuelauit tibi, ostendens quod paruas caro reuelationes ostendit. *Matth.* 16. Ob hanc causam dicebat Paulus Apostolus: *Cum autem placuit ei qui me segregauit ex utero matris, &c.* continuò non acquieui carni & sanguini, vt habetur *Galat.* 1.

Capvt XI.

De Angelis bonis.

Angeli boni sunt
Reuelatores contingentium:
Liberatores innocentium:
Regulatores promerentium:
Eruditores nescientium:
Propugnatores confligentium:
Increpatores delinquentium:
Incitatores exercentium:
Confortatores patientium:
Introductores decedentium.

ANgeli boni reuelant & annunciant secreta, quæ debent contingere, vt fides adhibeatur; ideò apparuerunt angeli Abrahæ, & se erga eum familiariter habuerunt, reuelantes ei plura secreta, *Genes.* 18. Reuelauit angelus vxori Manue conceptionem Samsonis, & vitam quam eum facere oportebat: & hæc eadem vxori & viro nullus postmodum reuelauit. *Iud.* 13. Reuelauit angelus He-

Heliæ, quod nunciaret nuncijs Ochoziæ, quod dilectio suæ infirmitatis descendere non debeat. vt habetur 4. *Regum cap.* 1. Danieli sunt multa & magna mysteria per angelos reuelata. *Daniel.* 9. 10. 11. Zachariæ apparuit angelus, conceptionem & vitam præcursoris annuncians & reuelans. *Luc.* 1. Mariæ etiam modum incarnationis Saluatoris idem angelus nunciauit *Luc.* 1. Magdalenæ & sociabus angeli reuelauerunt Christum à mortuis resurrexisse. *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 25. Aduentum Christi ad iudicium angeli reuelauerunt Apostolis in die Ascensionis *Actor.* 1. Per angelum suum reuelauit Dominus Ioanni Euangelistæ diuersa genera tormentorum. *Apocal. per tot.* Angeli boni liberant & adiuuant in periculis, & maximè innocentes; ideo illi qui hospitati sunt cum Loth, eum de periculo Sodomæ, de quo erat innocens, eruerunt. *Gen.* 19. Raphael, qui fuit dux Tobiæ, eum à piscis deuoratione eruens liberauit. *Tob.* 6. Vxorem etiam eius à Dæmone, & patrem ab oculorũ cœcitate liberauit. *Tob.* 8. & 11. Descẽdit angelus cum Azaria & sociis in fornacem: & eum ab ignis incendio liberauit. *Dan.* 3. Carcerato Petro angelus astitit, & lumen refulsit, & eum de carcere liberauit. *Act.* 12. Angeli boni regulant & dirigunt homines, vt non peccent, sed mereantur; ideo angelus regulauit Abraham prohibens ne filium interficeret & offerret. *Genes. cap.* 22. Stetit angelus in via contra Balaam, qui sedebat super asinam, & prohibuit ne populo Dei

maledictionem offerret. *Numer.* 22. Regulauit angelus Ioseph volentem Mariam coniugem suam dimittere, prohibens dimissionem, & rationem eius integritatis ostendens. *Matth.* I. Angeli boni erudiunt & docent ignorantes; in cuius figura vidit Iacob scalam, & angelos ascendentes & descẽdentes per eam significantes viam eundi ad cœlum; in qua docent angeli per viam contemplatiuam ascendere, & ad compassionem proximorum descendere per actiuam. *Genes.* 28. Apparuit Esaiæ vnus de Seraphin, & mundauit labia eius calculo, instruens ad loquendum, *Esaia* 6. Docuit angelus pastores inuenire Christum puerum natum in Bethleem, pannis inuolutum, *Luc.* 2. Instruxit angelus Ioseph accipere Mariam & puerum, & fugere in Ægyptum, quæ fit figura nostri, vt salutarium operum insistentia, prauitatem mũdi, qui nos persequitur fugiamus, *Matth.* 2. Angeli boni pugnant pro nobis, nos ab inimicis corporalibus & spiritualibus defendendo; ideò angelus Domini stetit inter castra Ægyptiorum & populum Israel, defendens eum. *Exod.* 14. Plures boni angeli in specie equitum erant cum Elisæo, quos puero demonstrauit 4. *Reg.* 6. Cum magna pugna esset inter viduam Machabæum, & Timotheum, apparuerunt de cœlo quinque angeli sedentes in equis, & armis Machabæum & populum defendentes. 2. *Machab.* 10. Angelus apparuit præcedens Iudam & exercitum eius in veste candida. 2. *Mach.* II. Angeli boni increpant & puniunt delinquentes

tes. Sic increpauit angelus filios Iſrael, qui amicitiam fecerunt cum Chanaan, eis diuina beneficia memorando, *Iudic*. 2. Numerato populo à Dauid angelus extendit manum ſuper Hieruſalem, vt diſperderet eam; & vidit Dauid angelum cædentem populum, & ait: *Ego ſum qui peccaui*, vt lucidè habetur. 2. *Reg*. 24. Percuſſit angelus Domini vna nocte centum octogintaquinque millia peccatorum in caſtris Senacherib, qui iniuſte contra populum Dei dimicabant. 3. *Reg*. 19. Percuſſit angelus Domini Heliodorum, qui templum exſpoliare volebat. 2. *Mach*. 3. Herodem volentem recipere diuinos honores, percuſſit angelus Domini, & conſumptus à vermibus expirauit, vt habetur *Act*. 12. Angeli boni confortant, & conſolantur timidos & afflictos, ne in tribulatione deſperent. Sic confortauit Gedeonem, animans eum ad pugnam; & ne deſperaret de triumpho, victoriam repromiſit. *Iudic*. 6. Eiectæ Agar & tribulatæ cum filio, apparuit angelus & confortauit eam. *Geneſ*. 21. Fugientem Heliam à facie Ieſabelis, angelus cibo reficiens confortauit eum. 3. *Reg* 19. Tranſtulit angelus Abacuc de Iuda in Babylonem, vt confortaret Danielem in lacu leonum. *Daniel*. 14. Poſt receſſum tentatoris, acceſſerunt angeli & miniſtrabant ei. *Matth* 4. Orante Christo à ſe transferri calicem paſsionis, apparens angelus viriliter confortauit eum. *Luc*. 22. Angeli excitāt & ſolicitant proficientes & exercentes ad bonum, ſic angelus Domini à populo de carcere eductos exci-

tauit, dicens: *Surgite & loquimini ad plebem. Actor.* 5. Apparuit angelus Philippo, & incitauit eum vt iret: qui vadens in illo itinere Eunuchum cõuertit. *Actor*, 8. Incitauit angelus & suscitauit Cornelium, vt iret ad Petrum: qui vadens, fidem Christi recepit. *Actor*. 10. Angeli boni deducunt hominem ad portum salutis vitæ æternæ animas eorum deducentes. In cuius figura redeuntibus filijs Iacob ad patrem suum, apparuerunt angeli, & ipsum deduxerunt securum. *Genes.* 32. Propter hanc causam dixit Dominus populo: *Ecce mitto angelum meum, qui præcedet te, &c* & introducet te in terram promissionis. *Exod.* 23. Raphael angelus sub huius figura reduxit Tobiam ad patrem. *Tob.* 11. Ob hoc dixit Judith: *Custodiuit me angelus Domini*, hinc euntem illic commorantem, & inde reuertentem. *Iudith* 13. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ, *Luc.* 16.

Capvt XII.

De Angelis malis.

Angeli mali sunt Christianorum tormentatores:
Adulterorum punitores:
Peccatorum introductores:
Mendaciorum relatores:
Diuinorum formidatores.

Angeli mali tormentant fideles; in cuius figura legitur, quod Spiritus Domini malus exagi-

exagitabat Saul: qui dicitur *Spiritus Dei*, quia potestate Dei potest quicquid potest, 1. *Reg.* 15. Sic etiam tormentauit Iob in rebus, filijs & carne propria permissione Diuina. *Iob.* 1. Filia Chananeæ male à Dæmonio vexabatur, quam Christus misericorditer liberauit. *Matth.* 15. Sic etiam vexabatur ab eo ille dæmoniacus, qui spumabat & stridebat. *Matth.* 17. & *Luc.* 9. Angelus malus habet potestatem super luxuriosos, adulteros, & male vtentes matrimonijs & coniugibus. Nam hoc est quod occidit septem viros filiæ Rachuelis, qui intrabant ad eam sicut equus & mulus, non amore prolis, sed ardore libidinis. *Tob.* 6. Propter hanc causam dicitur Dominus de Magdalena 7. Dæmonia eiecisse, quæ quia luxuriæ vacabat operibus, in ea vniuersaliter potestatem Diabolus possidebat. *Matth.* 16. Angelus malus omnem defectum inducit in hominem, quem possidet per peccatum. Nam facit hominem crudelem: quod figurant illi dæmoniaci, de quibus dicitur *Matth.* 8. Iterum, facit hominem immundum: quia dæmoniaci habitant in monumentis. *Matth.* 8. Petierunt etiam Dæmones intrare porcos, propter immunditiam possessorum ab eis. *Luc.* 8. Ideò vocatur à Domino *Spiritus immundus*: quia aliquando per pœnitentiam exit ab homine, post hoc sumit alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, vt *Luc.* 11. Facit hominem cœcum in sui cognitione, & mutum ad cõfessionem. *Matth.* 12. *Luc.* 11. Angeli mali virtute

diuina

diuina eiiciuntur, quam ipsi timent, potentissimam cognoscentes. Vnde Saluator noster octo dæmoniacos liberauit, vt patet in capite *De miraculis Dei, infra hoc eodem cap.8.* Paulus in hac virtute curauit puellam, quam spiritus Pythonicus possidebat. *Act.16.* Quia quidam derisiue in nomine Dei & Pauli dæmonia volebant eiicere, dæmon in eos insiliuit, & confudit, vt habetur *Act.* 9. Angeli mali mendaces sunt, & mendacia proferunt, & si aliquando vera dicunt, semper falsa veris commiscent; ideò audiri non debent, propter quod Saluator noster laudes eorum renuit, & ipsos tacere fecit, licet ipsi vera dicerent, vt habetur *Luc 4. cap.*

CAPVT XIII.

De Animæ resurrectione & immortalitate.

Animæ immortalitatem probant exempla;
Personarum decedentium;
Locorum continentium;
Perfectorum credentium;
Mortuorum resurgentium;
Verborum permanentium;
Sanctorum asserentium.

ANimæ rationalis immortalitas probatur, exemplis personarum defunctarum, quæ in alia vita leguntur viuere; ideò dicitur de Abraham:

ham: *Appositus est ad populum suum*. Ex quo probatur quod alia vita habet populum, scilicet eos qui in hac vita bene vixerunt, sicut & ipse vixit. Et similiter dicitur de Isaac, & similiter de Iacob. *Genes.25.& 35.* Apparens Dominus Moysi dixit: *Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob. Exod.3.* Per hoc probat Saluator resurrectionem mortuorum, dicens: *Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Matth. 22.* Dominus reddidit omnia Iob quæ perdiderat in duplo: & tamen non habuit nisi septem filios & tres filias, sicut prius, *secundum Gregorium in Moralibus*. Hi qui fuerant mortui, viuere comprobantur, *Iob. vlt.* Frequenter legimus in libris Regum: *Dormiuit cum patribus suis*. Ex quibus verbis monstratur eos viuere post mortem, & iterum resurrecturos: sicut de dormiente apparet. Ex verbis etiam defunctorum damnatorum colligitur, quod viuent tam boni quam mali in alio sæculo, dicentium: *Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Sapient.5.* Animæ rationalis immortalitatẽ probant loca in Sacra Scriptura animabus specialiter deputata, scilicet infernus, & requies Paradisi; ideò cum Iacob crederet esse mortuum Ioseph dixit: *Descendam ad filium meum cum dolore ad inferos. Genes.37.* Fratres Ioseph dixerunt: *Duodecim fratres sumus*: quasi adhuc viueret, quem mortuum credebant: vnus cum patre nostro est, alius non est super, sed subter. *Genes.42.* De Core & complicibus dicitur: *Descenderunt viui ad infe-*

ros

ros. Operti humo: vt per hoc ostendatur quod mali in inferno viuunt secundum animas immortales: *Num*.16. Cũ Absalon interiisset Dauid lacrymatur & planxit eũ, vt dicit S. Augustin. 3. *de Doct. Christ. quod non orbitatem filii doluit, sed quod nouerat quam grauibus pœnis, tam impia & paricidialis anima torqueretur*. Nã prius qui alio filio innocente & ægrotante affligebatur moriente lætatus est. 2. *Reg*. 12. & 18. Tobias dixit: *Filii Sanctorum sumus & vitam illorum expectamus, quã Dominus daturus est his qui fidem eius nõ mutant. Tob* 2. De Nabuchodonosore dicitur: *Infernus conturbatus est in aduentu tuo. Esa*. 14. Animæ immortalitatem ostendit fides credentium, & perfectorum, & sapientium. Si enim Saul non credidisset Samuelẽ secundum animã viuere, non eum suscitari petisset. 1. *Reg*. 28. Hanc fidẽ habuit Dauid perfecte, dicens, quando mirantibus seruis, quod ipse pro mortuo filio non lugebat, dixit: *Ego ibo ad eum, ipse vero non reuertetur ad me*. 2. *Reg*. 12. Hanc fidem tenebat Tobias dicens: *Præcipe in pace reponi spiritum meum. Tob*. 3. Fidelis Eleazarus ait sibi suadentibus: *Manum Dei, nec viuus nec defunctus effugiam*. 2. *Mach*. 16. Ex verbis fidelibus septem fratrum credentium aperte colligitur animas viuere post hanc vitam. 2. *Mach*. 7. Animæ immortalitatẽ probat resurrectio mortuorũ Vet. & N. Testamenti; ideò Helias resuscitaturus puerũ hospitę suæ dixit: Reuertatur anima pueri huius ad viscera eius: quæ nisi vixisset, non potuisset viscera introire. 3. *Reg*. 57. Heliseus non suscitasset filium

lium Sunamitis, nisi tūc anima eius vixisset. *4. Reg.* 4. Saluator noster suscitaturus adolescentem defunctum, ac si viueret, vocādo surgere imperauit. *Luc.* 7. Dormientem appellat puellam mortuam, quam tanquā de somno excitans suscitauit. *Matth.* 9. Lazarum quatriduanum tanquam viuentem vocans, dixit; *Lazare veni foras. Ioan.* 11. Animæ immortalitatem probat testimonium veritatis, quod mentiri non potest, scil. Iesu Christi, dicentis discipulis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Matth.* 10. Hoc idem patet ex verbis eius resurrectionem pronunciantibus Saducæis, vt habetur *Matth.* 22. In parabola eius de Lazaro & diuite epulone, &c. ostendit animas viuere post hanc vitam. *Luc.* 16. Consilium Christi est: *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Ergo anima post hanc vitam æterna tabernacula possidebit. *Luc.* 16. Animæ immortalitatem probant testimonia Sanctorum, qui fuerunt docti à Spiritu sancto. Ideò Salomon ait: *Reuertatur puluis ad terram suam, & spiritus ad Deum qui creauit illum. Ecclesiast. vlt.* Stephanus cùm lapidaretur, dicebat: *Domine Iesu, accipe spiritum meum. Actor.* 7. Paulus ait; *Si terrestris domus nostra corrumpatur, habemus domum non manufactam, æternam in cælis. 2. Corinth.* 5. Idem: *Cupio dissolui & esse cum Christo*: quod nihil esset dicere, si anima non viueret in æternum. *ad Philip. cap.* 1.

CA-

CAPVT XIV.

De Apparentibus Sanctis.

Apparuit Deus aliquando nescientibus, instruendo:
Delinquentibus, corrigendo:
Se quærentibus, promittendo:
Confligentibus, defendendo:
Non credentibus, asserendo:
Patientibus, refouendo:
Diligentibus, experiendo.

APparuit Deus aliquando, vt instrueret nescientes, & admoneret eos; sicut ante peccatum apparuit, & locutus est ad Adam dicens, instruens & admonens eum ne de ligno vetito mãducaret. *Genes.* 2. Noe apparuit, & instruxit vt faceret arcam, & modum, & ordinem demonstrauit. *Genes.* 6. Vt monuit etiam Dominus Abraham, vt de terra & cognatione sua exiret. *Genes.* 12. Multoties apparuit Moysi, ipsum de liberatione, ducatu & regimine populi instruens. *Exod.* 3. & in multis locis. Sic & Iosuæ multoties apparuit, instruendo eum. *Iosue* 1. 3. 5. 11. & 27. Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis: vt discipulos ardenter instrueret prædicare. *Actor.* 2. Petro oranti apparuit Dominus, & eum de conuersione Cornelij instruxit. *Actor.* 10. Paulo apparuit, & monuit, vt sicut in Hierusalem prędicauerat, sic prędicaret & Romæ

Romæ. *Actor*. 24. Apparuit quandoque Dominus ad corrigendum delinquentes. Sic post peccatum apparuit & locutus est Adæ & Euæ, & serpenti pœnas & maledictiones inferens pro peccato. *Genes*. 4. Sic apparuit Cain post fratricidium, eum arguens de commisso peccato, *Genes*. 4. Per somnum apparuit Abimelech dicens: *Morieris propter mulierem quam tulisti*; *Genes*. 20. Salomoni apparuit, & eum dure de commissis sceleribus increpauit. 3. *Reg*. 11. Cum appropinquaret Saulus Damasco, vt caperet Christianos, apparuit ei Dominus in luce de cœlo, eũ prostrauit, cœcauit, arguit, & correxit. *Actor*. 9. Apparuit aliquando Dominus promittendo mercedem quærentibus se. Sic apparuit Abrahæ dicens: *Semini tuo dabo terram hanc*. *Genes* 12. Salomoni apparuit Dominus, dicens: *Postula quod vis & dabo tibi*: qui petiuit sapientiam à Domino, & quod petierat impetrauit. 3. *Regum* 3. Apparuit quandoque ad defendendum sic multotiens apparuit Jacob, quando fratris iracundiam fugiebat, & eum defensare promisit, & ipso redeunte dixit Dominus ad Laban: *Caue ne quicquam loquaris aspere contra eum*. *Genes*. 31. Quando Dauid debebat committere prælium, semper consulebat Dominum: qui semper apparebat, & respondebat, promittendo ipsi auxilium, & ferendo, 1. *Reg*. 23. & 30. Apparuit aliquando ad testificandum veritatem, vt increduli credant. Sic supra Christum baptizatum Spiritus sanctus visus & paterna vox audita est: *Hic est filius meus dilectus*. *Matth*. 3. *Luc*. 3.

In transfiguratione, vt discipuli crederent, apparuit Spiritus sanct. in nube, & Pater in voce, testificans filium Dei esse, vt habetur *Matth.* 17. Apparuit aliquando ad consolandum afflictos. Sic apparuit Jacob in persecutione Esau, monstrando ei mirabiles visiones. *Genes.* 28. Sic Christus post resurrectionem suam apparuit primo Mariæ Magdalenæ afflictæ, deinde Petro, postea duobus discipulis euntibus in Emaus. *Lucæ vltimo.* Stephano in sua passione ostendit cœlos apertos & ei apparens, seipsum stantem à dextris Dei ostendit. *Act.* 7. Apparuit quandoque ad tentandum & probandum. Sic apparuit Abrahæ tentans eum, vt tolleret filium suum, & super vno montium offerret in holocaustum, vt habetur *Genes.* 22. Appariciones & reuelationes angelorum quære *supra cap.* 11.

Capvt XV.

De incauto Aspectu.

Aspectus incautus est
Præceptorum transgressiuus:
Lasciuorum incensiuus.

Aspectus incautus est causa transgressionis omnium præceptorum, & commissionis omnium peccatorum. Nam prima mulier quæ pomum incautè aspexit, transgressa est præceptum Domini cum gulæ vitium lethaliter commisit. *Genes.* 3. Quia Cham verenda patris incautè aspexit, trans-

transgressus est, & incurrit maledictionis effectum. *Genes.9.* Timuit Abraham ne ex incauto aspectu homicidium sequeretur; ideo dixit Saræ vxori suæ: *Si viderint te Ægyptii, occident me, & te seruabunt.* vt habetur Genes.12. Dina volens incautè aspicere mulieres regionis illius fuit violata à Sichem, vnde multa homicidia sunt secuta. *Genes.* 34. Herodes quia saltatricem aspexit incautè, caput Joannis promisit, & nequiter adimpleuit. *Matth.*14. *Marc.*6. Aspectus incautus accendit & fouet lasciuias & luxurias, & maximè aspectus pulchritudinis mulierum. Nam filij Dei videntes filias hominum, quod essent pulchræ vxores, quas elegerant acceperunt. *Genes.6.* Judas, quia Thamar aspexit in biuio, exarsit libidine, & cum ea peccauit. *Genes.*38. Domina Memphitica cui seruiebat Joseph, oculos iniecit, & eius ardens libidine, eum molestauit. *Genes.*39. Vidit Dauid mulierem lauare se, & ex hoc adulterium & homicidium perpetrauit. 2. *Reg.* 11. Holofernes Iudith pulchram videns & ornatam, ab eius pulchritudine fuit captus, & turpiter capite truncatus. *Iudith.* 10. Videbant duo senes Susannam in pomærio ambulantem, & eius concupiscentia exarserunt. *Daniel.* 13.

CAPVT XVI.

De Astutia & calliditate falsa.

Astuti sunt imitatores dæmoniorum.

Deceptores sociorum.
Suppressores sociorum,
Simulatores amicorum,
Extinctores inimicorum,
Zelatores delictorum.

ASTUTI sunt imitatores Diaboli, qui primus magister astutiæ & calliditatis fuit:& hoc in serpente, qui erat callidior cunctis animantibus terræ, qui primam mulierem sua seduxit astutia, & callidè non est aggressus virum, in quo maior prudentia residebat, vt dicitur *Genes* 20. Quia Sathan coram Deo veritati & sanctitati Iob nõ potuit derogare, eum callidè decipere voluit, omnia auferendo, & nuncios simul venire faciendo, vt multiplicato dolore, citius per impatientiam frangeretur. *Iob.* 1. Astuti sunt deceptores sociorum suorum & aliarum etiam personarum, & semper nouas vias subtilitatis ad decipiendum inueniunt. Sic Laban multotiens voluit Iacob deludere, nunc in vxore, nunc in mercede, & semper nouas astutias exquirendo. *Genes.* 29. & 30. Cum Laban scrutaretur omnem supellectilem quam habebat Iacob callide fuit à Rachele illusus. *Genes.* 31. Filij Iacob voluerunt patrem astute decipere, mittentes ei tunicam intinctam sanguine; vt crederet filium à bestiis deuoratum. *Genes.* 37 Gabaonitæ nouis astutiis Iosue & filios Israel decipere procurauerunt. *Ios.* 9. Harum circuitum fecerunt Pharisæi cœco nato, vt eum verbis caperent; & mon-

monſtrarent mendacem. *Ioan. 9.* Aſtuti ſunt ſimulatores,fingentes ſe eſſe quod non ſunt. Nam fratres Dinæ callide deceperunt Sichem, & populum ciuitatis, religionem & amicitiam ſimulantes. *Geneſ. 34.* Sedechias propheta fecit ſibi cornua ferrea, verum Prophetam ſe ſimulans, & fefellit regem Achab,dicens: *His cornibus Syriam ventilabis*,vt habetur 3. *Reg.* 22. Callide cogitauerunt Phariſæi, demonſtrantes ſe velle honorare Ieſum,dicentes: *Magiſter,ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, &c. Volentes eum capere in ſermone,*Matth.* 22. Simile fecerunt, cum adduxerunt ei mulierem in adulterio deprehenſam.*Ioann.* 8. Aſtuti ſunt tyranni nouas inuenientes aſtutias vt ſubditos & alios deprimant & occidāt.Sic fecit Pharao, qui nouas adinuenit aſtutias, vt filios Iſrael extingueret. *Exod.* 1. 2. 5. Callide voluit Saul facere occidi Dauid, ſimulans ſe velle eſſe conſanguineum eius, dans & filiam in vxorem. 1. *Reg.* 18. Sceleratam & nouā Iezabel inuenit aſtutiam vt vineam auferret Naboth, & eum occidi faceret ſine culpa, 3. *Reg.* 21. Athalia regina vt regnare poſſet,omne ſemen regium callide interfecit. 4. *Reg.* 11. Herodes tyrannus impius callide cogitauit Chriſtum occidere,exquirendo à Magis innocentes pueros occidendo.*Matth.* 2. Aſtutias ſubtiles inueniunt inimici, vt poſſit vnus alium ſuperare. ſic cogitauerunt callide Philiſtæi, vt faber ferrarius non inueniretur in Iſrael, ne fabricaret arma vel gladios,& ſic eos facile ſuperarent.

1.*Reg*.13. Quia Abſalon inimicabatur Amon qui eius ſororem oppreſſit; callidè, vt eum occideret, conuiuium ordinauit. 2.*Reg*.13. Aſtute Rapſaces Nuncius Senacherib loquebatur alta voce, vt audiret populus qui erat ſuper muros, vt timens ei traderet ciuitatem. 3.*Reg*.18. Satrapæ Perſarum inimicantes Danieli, aſtute procurauerunt, vt Rex faceret decretum, contra quod ſciebant Danielem facturum; & ſic ipſe regi exoſus incurreret pœnam mortis. *Dan*.6. Calliditate quorundam inimicantium Paulo in ciuitate Lyſtra, vbi Paulum voluerunt populi adorare vt Deum, fuit poſtea Paulus lapidatus. *Actor.cap*.14. Iudæi callide Paulum volebant educi, quem ipſi coniurauerant occidendum. *Actor.cap*.14. Aſtuti nituntur ſua ſcelera occultare, facta & fienda, aliquo velamine bonitatis, ne cognoſcantur. Sicut Dauid aſtute voluit celare adulterium pietate, quando miſit pro Vria vt cum vxore quieſceret & dormiret. 1.*Reg*.11. Nefandam aſtutiam tenuit Amon, qui volens violare ſororem, ſub ſpecie ægritudinis, iniquitatem celauit. 2.*Reg*.13. Ambitionem regni celabat aſtute Abſalon ſub pietate iudicij, dicendo canentibus: *Videntur mihi ſermones tui boni & recti:* ſed *non eſt qui te audiat à rege conſtitutus*.2.*Reg*.15. Duo ſenes ſub prætextu iudicij iniquitatem peſſimam celauerunt.*Dan*.3.

CAPVT XVII.

De Auaritia & cupiditate terrena.

Auari sunt
Iurgiorum materiam exquirentes:
Thesaurorum pecuniam appetentes:
Iudiciorum iustitiam peruertentes:
Sacrilegiorum nequitiam committentes:
Occisorum malitiam incurrentes:
Proditorum peritiam exercentes.
Punitorum tristitiam sustinentes.

AVari & amantes diuitias sunt litigiosi & discoli, sub cuius figura Cain (qui interpretatur possessio) Abel fratrem suum occidit. *Genes.* 4. Propter nimiam substantiam Abrahæ & Loth, non potuerunt habitare simul, propter pastorum iurgia vtriusque. *Genes.* 13. Locupletato Isaac, pastores & conuicinorum iurgia incœperunt. *Genes.* 26. Propter hanc causam Saluator noster noluit se intromittere in diuisionem terrenæ hæreditatis, cum super hoc fuerat requisitus. *Luc.* 12. Auari nunquam temporalibus satiantur, sed semper acquirere & congregare nituntur. In cuius figura dicitur Cain ædificasse ciuitatē Enoch, nomine filij sui, & nō Abel. Quia sancti & pauperes Christi nolunt hic habere manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt. *Genes.* 4. Obiecta victoria de Arphaxat Nabuchodonosor alia regna cupiuit. *Iudith cap.* 1. Adolescens iuuenis qui semper inhiabat ad plura, recessit tristis, cum audiuit à Domi-

no, quod non ſolum plura non quæreret, ſed relinqueret etiam acquiſita. *Matth.* 19. Contra illos qui bona temporalia congregare nituntur, dixit Chriſtus ſimilitudinem diuitis, cuius ager fructus vberes afferebat. *Luc.* 12. Propter auaritiam quæſtuariorum qui amplius volebant acquirere, factum eſt vt Paulus & Silas fuerint virgis cæſi. *Act.* 16. Ex auaritia vlterius congregandi pecuniam Demetrius nomine argentarius, ſeditionem in Paulum concitauit. *Actor.* 19. Auari cupiditate ducti peruertunt rectum iudicium, & veritatem in falſitatem commutant; ideo dixit Iethro Moyſi: *Elige tibi conſiliarios homines Deum timentes, qui oderint auaritiam:* quaſi diceret, tales non peruertunt veritatem. *Exod.* 18. Balaam ſeductus auaritia, benedictionem populi in maledictionem conuertit. *Numer.* 22. Filii Samuelis ſecuti ſunt auaritiã, vt iudicium peruerterint. 1. *Reg.* 8. Vinea Naboth fuit cauſa quod falſi teſtes producti fuerunt contra eum, 3. *Reg.* 21. Per pecuniam corrupti cuſtodes ſepulchri, mentiti ſunt dicentes, quod corpus Chriſti per diſcipulos ſubiatum fuerat. *Matth.* 28. Felix Præſes, qui à Paulo pecuniam non recepit, ipſum non reſtituit libertati. *Actor.* 24. Auari clerici Symoniam committunt, & oblationes requirunt. vnde pauci ſunt hodie clerici, qui faciant oblationes populo prohiberi, ſicut qui præerant operibus templi. *Exod.* 36. Hiezi propter auaritiam vendidit curationem Naaman, quam Heliſeus fecerat gratis, munera recuſando, 3. *Reg.* 5. Menelaus propter

propter pecuniam quam promisit Andronico, habuit Sacerdotium. 2. *Machac.* 4 Sacerdotes propter auaritiam permittebãt vendi in templo oues & columbas. *Matth.* 21. Auari propter suam cupiditatem multotiens incurrũt mortem. Nã Achior cupiditate ductus tulit de anathemate Iericho: ideò fuit morti adiudicatus, vt habetur *Ios.* 7. Nabal qui nuncijs Dauid fuit nimis auarus, ferè totam substantiam & vitam perdidit, nisi quod propter largitatem & prudentiã vxoris euasit, 1. *Reg.* 25. Quia Semei ex auaritia exiuit seruos requirere, fecit eum Salomon occidi, 3. *Reg.* 2. Propter hanc causam dixit Iudas commilitonibus suis: *non concupiscatis spolia, quia bellum contra vos est.* quasi diceret: Faciliter occidentur, 1. *Machab.* 4. Obsidentes corrupti pecuniâ, dimiserunt quosdam; ideo sunt occisi, 2. *Machab.* 10. Credũtur Iudæi corruisse in prælio: quia inuenta sunt donaria Idolorum sub tunicis interfectorum, quod prohibebatur eis, 2. *Machab.* 12. Auari vt pecuniam habeant, proditiones exercent: & amicus supplantat amicum. Nam Dalila propter pecuniam Samsonem tradidit, quem prius se diligere ostendebat, vt dicitur *Iudic.* 16. Iudas Scarioth propter cupiditatem decimæ quam perdidit de vnguento Christum tradidit & vendidit, à quo tot & tanta receperat beneficia. vt habetur *Matth.* 26. Auari sunt grauiter puniendi & corrigendi à Prælatis: & grauiter puniuntur à Deo Omnipotenti. Nam præcipua occasio reprobationis Saul vide-

tur fuisse cupiditas quam habuit in præda Amelech, vt habetur 1. *Reg.15*. Opprimentes alios per vsuras & exactiones Neemias grauiter increpauit. *Neem*. 1. Ptolemæus vituperauit Alexandrum, quia regnum eius per auaritiam concupiuit. 1. *Machab*. 11. Acerbe est punitus diues epulo, qui fuit de micis panis erga Lazarum auarus. *Luc*.16. Emptores boum & villarum, id est, mobilium & immobiliũ, sunt exclusi à cœna magna quam Dominus præparauit, *Luc*. 14. Terribiliter punita est auaritia Ananiæ & Saphiræ, per Apostolum Petrum, quia subitanea morte occubuerunt. *Actor*.5.

Capvt XVIII.

De Verbi Dei Auditu.

Audiri debet verbum Dei,
Cum fidelitate credendi:
Cum sinceritate reuerendi:
Cum aßiduitate adimplendi:
Cum voluntate pœnitendi:
Sine impietate resistendi.

AVdiri debet verbum Dei cum credibilitate & fide: ideò cum Aaron verba Domini locutus fuisset ad populum, credidit populus omnis, & proni adorauerunt. vt habetur *Exodi*.4. Post aduentum Spiritus sancti multi qui audierunt verbũ Dei, crediderunt: & creuit Ecclesia. *Act*.4. Gentes audientes quod Paulus & Barnabas prædicarent, gauisi

gauisi sunt & crediderunt. *Actor.* 13. Paulo & Barnaba prædicantibus, Iconii audierunt, & multi cum auiditate crediderũt. *Actor.* 14. Intrante Paulo in synagogas Beryti audierunt multi cum auiditate qui crediderũt. *Actor.* 19. Audiri debet verbum Dei cum reuerentia & deuotione cordis & gestus; ideò Eglon rex statim surrexit de solio, quando Ayoth dixit ei: Verbum Dei habeo ad te, ô rex: maximam reuerẽtiam exhibens verbo Dei. *Iud.* 3. Heli docuit Samuelem vt reuerenter diceret: *Loquere Domine quia audit seruus tuus.* 1. *Reg.* 3. Legit Esdras verba legis à mane vsque ad mediam diem: & aures populi erant erectæ ad librũ. 2. *Esdr.* 8. Reuerenter audiebat Maria soror Marthæ, quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius. *Luc.* 10. Loquebatur Jesus docens in templo: & omnis populus suspensus erat audiens verbum eius. *Luc.* 19. Reprehendentes se discipuli de ignorantia cognitionis Christi, dicebant adinuicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobis. Luc.* 24. Prædicante Philippo in Samaria, intendebant turbæ deuotæ his quæ dicebantur ab eo. *Actor. cap.* 8. Audire verbum Dei non sufficit, nisi homo adimpleat opere illud quod audit: Ideò dixit populus Moysi: *Omnia verba quæ loquutus est Dominus, faciamus. Exod. cap.* 18. Job dixit Domino: *Auditu auris audiui te.* & post pauca: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Iob.* 42. *& vltimo.* Herodes licet pessimus, audiebat Ioannem: Et audito eo multa facie-

faciebat. *Marc.6.* In fine sermonis in monte dixit Iesus: *Omnis qui audit verba mea & facit ea, similabitur viro, qui ædificauit domum suam supra firmam petram. Matth.7.* Mulieri dicenti: *Beatus venter qui te portauit*, dixit Christus: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Luc.11.* Estote factores verbi, & non auditores tantum. *Iac.1.* Auditus verbi Dei conuerti facit peccatorem ab errore viæ suæ; ideò dixit Dominus Hieremiæ: *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & conuertantur, Ierem.26.* Verbum prædicationis Ionæ venit ad regem, & conuertit eum, & populum totius ciuitatis Niniue. *Ion.3* Post prædicantem Christum in nauicula Petrus & alij relictis omnibus secuti sunt eum. *Luc.5*: Videntes discipuli quod per prædicationem cõuertebantur infideles, dixerunt multitudini: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis*: & tamen illæ mensæ erant pauperum & viduarum: vt ostenderent, quod prædicatio verbi Dei ad homines conuertendos præualeat operibus misericordiæ corporalis. *Actor.6.* Quia eunuchus audiuit verbum Domini à Philippo, conuersus & baptizatus est. *Actor.8.* Prædicatio Petri & admonitio angeli Cornelium conuerterunt. *Act.10.* Lidda purpurissa ad prædicationem Pauli est conuersa, vt habetur *Actor.10.* Paulo loquente de resurrectione mortuorum, Dionysius Ariopagita credidit. *Actor.17.* Audire verbum Dei nolunt mali & incorrigibiles, ne conuertantur; ideò dixit Moyses Domino: *Filii Israel non me audiunt;*

& quo-

& quomodo audiet me Pharao. Exod.4. Rex Achab noluit audire Micheam Prophetam, quia nõ prophetauit ei nisi malum, sicut ipse merebatur habere. *3. Reg.* 22. Dixit Dominus Ezechieli: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt me audire: quia domus exasperans est. Ezech.3.* Iudæi obturauerant aures suas, vt non audirent Stephanum, & audientes dissecabant cordibus suis. *Actor.7.* Cum audissent quidam Paulum de resurrectione mortuorum, irridebant eum. *Actor.17.*

CAPUT XIX.

De Auiditate mulierum.

Auidæ sunt mulieres in vetitorum prohibitione:
Filiorum impetratione:
Genitorum prosperatione:
Sublimiorum cumulatione:
Secretorum reuelatione:
Inimicorum vindicatione:
Gaudiorum secretorum enarratione.

AVidæ sunt mulieres semper de sibi prohibitis, & ampliùs desiderant vetita; ideò prima mulier de concessis fructibus comedisse non legitur, nec eos desiderasse, sed solum vetitum concupiuit, & viro suo attulit ad comedendum. *Gene.3.* Vxor Loth voluit contra prohibitionem retrò post tergum respicere, & versa est in statuam salis.

ſalis. *Geneſ.*19. Dina contra licentiam patris & fratrum voluit videre mulieres regionis illius: & oppreſſa eſt à Sichem, & ſic de illis quæ volunt videre viros & videri ab eis, vt habetur *Geneſ.*3. Domina cui ſeruiebat Ioſeph, quia ſciebat adulteriũ à naturali lege fore prohibitum, auidæ ſollicitabat eum ad peccandum. *Geneſ.* 29. Auidæ ſunt mulieres habere filios, vt careant ſterilitatis opprobrio; ideo Sara ita deſiderabat filios, vt potius voluerit Abraham habere filios de ancilla quam non habere, credens de ſe nunquam poſſe filios generare. *Geneſ.* 16. Filiæ Loth potius voluerunt habere filios de patre proprio, quam filios non habere. *Geneſ.* 19. Rachael videns ſororem fœcundam, dixit marito: *Da mihi libros, alioquin moriar. Geneſ.* 30. Anna deſiderio habendi filios flebat, & non capiebat cibum. 1. *Reg.* 1. Multum deſiderabat illa mulier & proprium filium, quæ rapuerat alienum. 3. *Reg.* 3. Auidæ ſunt mulieres de profectibus & proſperitatibus filiorum; ideo mulier Sunamitis voluit ire ad Heliſeum pro ſuſcitatione filij, quamuis vir eius plenam licentiam nõ conceſſiſſet. 4. *Reg.* 4. Vxor Tobiæ quotidie reſpiciebat viã, vt videret filiũ proſpere venientẽ. *Tob.* 10. Mulier Chananæa ſic feruide deſiderabat filiæ ſanitatem, quod Dominũ pluries pro ea rogauit; & plura opprobria ſuſtinens, nõ deſiſtit donec quod petierat impetrauit. *Matth.* 15. Mater filiorum Zebedæi ſic auida fuit pro filiorum proſperitate, quod acceſſit ad Ieſum & petijt filios ante laborem remunerari.

nerari. *Matth.*20. Auidæ mulieres poſcunt habere poſſeſſiones & gloriam; ideò Aza filia Caleph obtinuit terram irriguam, quia ſuſpirans affectuoſiſſime poſtulauit. *Ioſue* 15. Ita concupiuit Iezabel vineam Naboth, vt fecerit eum iniuſte lapidari. 3. *Reg.*21. Athalia concupiſcens gloriam & poſſeſſionem regni, omne ſemen regium excepto Ioas abſcondito, interfecit. 4. *Reg.*11. Auidæ ſunt mulieres ſcire ſecreta virorum: & quanto magis eis occultantur, eo amplius ſcire deſiderant. Sed nullum ſecretum continent. Vnde vxor Samſonis tantum inſtitit, quod ei Samſon reuelauit ſecretã & propoſitionem obſcurã, quam parẽtibus noluit reuelare, quæ eam poſtea propalauit. *Iud.*14. Dalila ſua importunitate deuicit Samſonem vt ei panderet fortitudinis ſuæ: quod ſecretum Philiſtæis poſtmodum reuelauit. *Iudic.*16. Auidæ ſunt mulieres ad vindictam, & non parcunt niſi vlciſcantur. Vnde Heſter non fuit contenta de vindicta Amon ſuſpenſi, & 4000. virorum occiſorum, ſed in craſtinum fecit ceteros trucidari. *Heſter.*9. Herodias ſic deſiderabat vindictam de Ioanne, qui dixerat contra eam, quod magis elegit petere ab Herode caput Ioánnis quam dimidium regni ſui. *Marc.*6. *Matth.*14. Dixit Chriſtus exẽplum de vidua, quæ multũ fuit moleſta iudici vt eã de aduerſario vindicaret. *Luc.*18. Auidæ ſunt mulieres ſecreta gaudia ſui cordis exprimere, & aliis reuelare. Vnde interrogata Rebecca, ſi vellet ire cum ſeruo Abrahã ad maritum ſuum, lætitiam volens oſtendere, non

dixit

dixit, si placet vobis; sed lætanter dixit, Vadam. *Genes.* 24. Puella nomine Rode præ gaudio non apparuit Petro, sed quod Petrus adesset, lætanter cucurrit intro stantibus nunciare, vt habetur *Actor.* 12.

Capvt XX.

De Auxilio Dei.

Auxilium petendum est à Deo: quia solus est:
Auxiliator in tribulatione:
Solus in tentatione:
Solus in contemplatione.

PRimus Auxiliator in tribulatione Deus est positis. Psalmista, *Da nobis auxilium de tribulatio-* Et hoc tripliciter conseruando, siue defendendo. Psalmus: *Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te.* Esaiæ 50. *Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non sum confusus.* Item confortando Psalmus: *Manus enim mea auxiliabitur ei.* Item spem gloriæ donando Psalm. *DEVS auxilii mei, & spes mea in Deo est.* Auxiliator Deus in pugna tentationis. 2. *Paral.* 32. Cum Senacherib brachium carnium est nobiscum Dominus Deus noster auxiliabitur nostri. Item hostes debellando. Esa. 30. *Ægyptus homo & non Deus, & equi eorum, caro & non spiritus. Inclinauit Dominus manum & corruet auxiliator, & cadet.* Propter hoc dicebat Esa.

Esaias: *Ecce Dominus Deus auxilium meũ*, quis est qui me contemnet? Item corroborando, 2. *Par.* 26. *Egressum est nomen Oziæ procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus & corroborasset illum.* Auxiliator Deus in contemplatione. *Deut. penult. Beatus es tu Israel! quis similis tui popule, qui salutaris in Domino scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ.* Item gratiam infundendo. *Hebr.* 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gloriæ eius, vt misericordiam consequamur & gratiam in auxilio oportuno.* Item mittendo. Psalm. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Item concupita & petita ad libitum faciendo. Psalm. *Beatus vir cuius auxilium est abs te.* Beatus enim est cui omnia optata succedunt.

CAPVT XXI.

De Baptismo Christianorum.

Baptismus Christianorum est
Demonstratus in figuris:
Prophetatus in Scripturis:
Roboratus Christi curis.

BAPTISMVS præfiguratus fuit in figuris antiquæ legis. Nam figuratus fuit per mare rubrum in quo filij Israel liberati sunt, id est, Christiani: & Pharao, id est, diabolus cum suis sequacibus, est submersus. *Exod.* 14. Per aquam signabatur baptismus in quam Helizeus misit salem, id

est, Christus gratiam, vt eius sceleritas sanaretur, vt lucide habetur, 4. *Reg.* 20. Septena lotio Naaman in Jordane, quæ eum mundauit à lepra, signat septem dona Spiritus sancti, mundantia hominem baptizatum. 4. *Reg.* 5. Baptismus prophetatus fuit in Scripturis à Prophetis antiquis & nouis. Nam de eo prophetauit Ezechiel, dicens: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Ezech.* 36. Joannes Baptista eximius Prophetarum, prophetauit & prædicauit Baptismum, & incæpit eum, & Christi baptismum prophetice nunciauit. *Matth.* 3. Baptismum consecrauit & approbauit Christus, quando baptizatus est à Ioanne, & Spiritus sanctus apparuit in columbæ specie, vt aquis virtutem tribueret salutarem. *Matth.* 30. *& Luc.* 3. Præcepit Christus baptismum fieri de necessitate, cum dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit regnum cœlorum. Ioann.* 3. Prædicari etiam voluit Christus baptismum, & formam baptizandi tradidit, dicens: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* Amen. *Matth.* 28. In baptismo & fide ostendit Christus esse salutem nostram, dicens: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. vltimo.

Cap.

Capvt XXII.

De Benedictione Dei ad hominem.

Benedictionem Dei recipiunt,
Coniugiorum perfecti obseruatores:
Præceptorum subiecti executores:
Flagellorum electi supportatores:
Arduorum accepti operatores:
Deuotorum dilecti hospitatores.

BEnedixit Deus existentibus in matrimonio ad filios procreandos: sicut benedixit Adæ & Euæ, dicens: *Crescite & multiplicamini*, &c. *Genes.1.* Noe etiam & filijs eius benedixit, dicens: *Crescite*, &c. *Genes.9.* Benedixit Deus obedientibus præcepto eius: ideo dixit Abraham: *Egredere. Benedicam tibi: magnificabo nomen tuum. Genes.* [illegible] Ascensurus in cœlum Saluator eduxit discipulos in Bethania, in montem Olíueti: quibus obedientibus, eleuatis manibus benedixit. *Luc.24.* Benedixit Deus tribulatis, tribulationes patienter portantibus. Sic benedixit Deus Abraham de Ismaele eiecto & tribulato, dicens: *Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde. Genes.cap.17.* Iob benedixit, quia patiens fuit, & restituit ei duplicia. *Iob. cap.42.* Benedixit Deus iustis & bene operantibus, augendo eis bona temporalia & spiritualia: sic benedixit Isaac, & ibat proficiens. *Genes 26.* Iacob luctaturus cum

angelo dixit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. & benedixit ei in eodem loco. *Genes*.32. Operibus manuum Iob Deus benedixit, & possessio eius creuit in terra. *Iob*. 1. Desideranda est illa benedictio, quam daturus est Dominus iustis & bene operantibus in die iudicij, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Matth*.25. Benedixit Deus recipiẽtibus sanctos homines, vel sanctas reliquias, hospitio. Sic dixit Iacob ad Laban: *Modicum habuisti antequam venirem ad te: & nunc diues factus es, & benedixit tibi Deus propter aduentum meum. Genes*. 30. Propter Ioseph benedixit Deus domui Ægypti, & multiplicauit in omnibus. *Genes*.39. Habitabat arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, & benedixit Deus domui Obededom, vt habetur 2. *Reg* 6.

CAPVT XXIII.

De Benedictione hominis ad Deum.

Benedicere debet homo Deo,
Pro superatione decertationum:
Pro acquisitione illustrationum:
Pro adeptione perfectionum:
Pro promotione prælationum;
Pro effusione orationum;
Pro euasione tribulationum;
Pro cognitione retributionum.

BEnedicere debet homo Deo, pro obtentis victorijs corporalium inimicorum; ideò Melchise-

chiſedech occurrẽs Abrahæ poſt victoriam quam habuerat ipſe de quatuor regibus, Dominum pro obtenta victoria benedixit, vt habetur *Geneſ.13.* obtenta victoria de Siſara Delbora & Barac ceciñerunt dicentes: *Qui ſponte obtuliſtis animas veſtras de Iſrael ad periculum, benedicite Deo. Iudith.5.* Poſt victoriam quam habuit Dauid de Goliath, dicitur feciſſe Pſalm. *Benedictus Dominus,*&c. 1. *Reg.*7. *Pſal.* 143. Ozias princeps videns Judith cum capite Holofernis, benedixit Deum. *Iudith.*13. Obtenta victoria & ædificato altari ſub Iuda Machabæo benedixit populus Dominum. 1. *Machab.*4. Heliodoro volente ſpoliare templum, ſed terribiliter flagellato, benedixerunt Deum, 2. *Machab.*3. Benedicere Deum homo debet, pro acquiſita vel acquirenda ſapientia; ideo cum audiſſet Hira verba Salomonis, ait: *Benedictus Deus, qui dedit Dauid filium ſapientem,* vt habetur 3. *Reg.*5. Cum aperuiſſet librum Eſdras, vt inſtrueret populum, benedixerunt Domino ipſe & populus. *Neem.8.* Tobias inſtruens filiũ & ſapientiam docẽs, inter cætera dixit ei: *omni tempore benedic Domino. Tob.*4. Daniel qui accepit ſapientiam & reuelationes à Deo, ait: *Benedictus Deus qui dat ſapientiam. Dan.*2. Benedicere debet homo Deo pro complemento & perfectione cuiuslibet operis boni. Sic Salomon ædificato templo benedixit Deo, qui dedit gratiam complendi opus ſuum dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ad Dauid patrem meum, & compleuit.* 3. *Reg.*8. Completo muro Hieruſalem ſub

Esdra & Neemia, dixerunt Leuitæ: *Surgite, benedicite Deum nostrum ab æterno. Neem. 9.* Completa promissione, facta Simeoni à Spiritu sancto, accepit Iesum, & benedixit Deum, dicens: *Nunc dimittis*, &c. *Luc.* 2. Benedicere debet homo Deo in electione & promotione boni Prælati & iusti Principis. Ideo facto principe Asaph, ad confitendum Domino, sequitur: *Benedixit Dominus*, &c. 1. *Paral.* 16. Videns Esdras animum Artaxerxis regis esse bonum dixit: *Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis.* 1. *Esdr.* 7. Benedicere debet homo Deo in oratione: & maxime in Ecclesia. Ideo Sara filia Rachuelis orando, dixit: *Benedictum nomen tuum Deus, qui cum iratus fueris misericordiam facis. Tob.* 3. Post ascensionem Domini erant in templo discipuli, orantes & benedicentes Deum. *Luc.* 24. Benedicere debet homo Deo, pro euasione tribulationum; ideo Raguel & vxor eius, videntes quod dæmon Tobiam non vexaret, dixerunt: *Benedicimus te Domine Deus Israel: quia non contigit nobis vt putabamus. Tob.* 8. Ananias & socij liberati à flamma fornacis, benedixerunt Domino. Et similiter Nabuchodonosor Deum pro eorum liberatione plurimum benedixit. *Dan.* 3. Petrus Apostolus tribulationes patiens dicebat: *Benedictus Deus & pater Domini mei Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* 1. *Pet.* 1. Benedicere debet homo Deo, pro receptis beneficijs gratias referendo. Ideo Raguel solicite

cite monuit Tobiam & filiam, vt pro receptis beneficijs benedicerent DEVM cœli, & omnia eius beneficia & mirabilia narrarent. *Tob.*10. De recuperato visu & auditis sermonibus Raguelis Tobias Dominum benedixit. *Tob.*13. Machabæus & qui cum ipso erant audientes auxilium à Domino sibi missum, benedixerunt Dominum. 2.*Machab.*11. Zacharias recepta prole, & soluto vinculo linguæ eius, prophetauit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel. Luc.*1.

CAPVT XXIV.

De Benedictione hominis ad hominem.

Benedicere debet homo
Bellatorum victoribus:
Genitorum pignoribus:
Hospitiorum cultoribus:
Egenorum benefactoribus:
Et bonorum actoribus.

BEnedicere debet homo Deo ad acquirendam victoriam; ideo Melchisedech benedixit Abrahæ reuertenti cum victoria qua fuerat pro iustitia præliatus. *Genes.* 14. In cantico pro victoria habita de Sisara dicitur: *Benedicta inter mulieres Iahel.* Ozias princeps populi dixit ad Iudith, quæ obtruncauerat Holofernem: *Benedicta tu es filia a Domino Deo excelso,* &c. *Iudith. cap.*13. Bene-

dicere debet homo filijs ſuis & propinquis. Flente Eſau dixit pater eius: *In rore cœli & pinguedine terræ deſuper erit benedictio tua. Geneſ.27.* Iacob benedixit filio ſuo Ioſeph & duobus filijs eius dicens: *Benedicat Deus pueris his.* Et poſt modicum, benedixit omnibus filiis ſuis. *Geneſ.49.* Rachuel benedixit filiam, tradens eam Tobiæ, dicens: *Deus ſit vobiſcum, qui coniungat vos & impleat benedictionem. Tob. 7.* Benedicere & ſalutare debet homo hoſpites ſuos, ſicut Pharao poſtquam Joſeph introduxit patrem ſuum, Iacob benedixit: & interrogans eum de tempore vitæ ſuæ. *Geneſ.47.* Rachuel oſculatus Tobiam hoſpitem ſuum, præ gaudio fleuit, & ait: *Benedictio ſit tibi fili mi: quia boni & optimi viri es filius. Tob.7.* Gabelus inueniens Tobiam hoſpitem in domo Rachuelis benedixit ſimili modo. *Tob. 9.* Veniente Maria ad domum Elizabeth, & ſalutata ea, exclamauit Elizabeth, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Luc.1.* Benedicere debent Prælati ſubditos ſuos; ideò dixit Dominus Moyſi: *ſic benedices filios Iſrael: Benedicat tibi Dominus Deus tuus, & cuſtodiat te. Numer.6.* Extendens manum Aaron ad populum benedixit eis. *Leuit.9.* Non ſolum Prælati boni, ſed etiam mali debent benedicere ſubditos ſuos; ideo dixit Balaam: *Ad benedicendum ductus ſum, benedictionem prohibere non debeo, & non potero*: vt habetur *Numer.23.* Conuertit Salomon faciem ſuam, & benedixit omni Iſrael: & omnis Eccleſia ſtabat. 3. *Reg.8.* Cum Da-
uid

uid obtulisset holocausta, benedixit populo in nomine Domini. 1. *Paralip.* 16. Benedicere debent pauperes benefactoribus suis; ideo dixit Moyses populo: *Non pernoctabit apud te pignus pauperis, vt dormiens in vestimento, benedicat tibi. Deuteron.* 24. Naemi videns quod Boos benedixit Ruth nurui suæ & pauperi & viduæ, benedixit ei, dicens: *Benedictus sit à Domino, quia gratiam quam seruauerat viuis, reparauit & mortuis. Ruth.* 2. Benedicere debet homo bene operantes & sancta opera facientes; ideò Iosue dixit Rubenitis & Gaaditis: Fecistis omnia quæ præcepit Moyses: Et sequitur: benedixit eis. *Ios.* 23. Quia Ruth caste vixerat, & bene fuerat operata, Boos benedixit ei. *Ruth.* 3. Heli Sacerdos benedixit Helchanæ & vxori eius, orantibus & offerentibus in templo. 1. *Reg.* 1. Nunciatum est Dauid quod viri Fabes Galaad sepelissent Saul mortuum, dixitque ad eos: Benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. 2. *Reg.* 2.

CAPVT XXV.

De Benignitate Dei.

Benignus est Deus exorantibus pro alienis delictis:
Tolerantibus, & habenis astrictis:
Operantibus cœli canis asscriptis:
Decertantibus sed effrenis deuictis:

Iam peccantibus & pœnitentibus de delictis:
Ægrotantibus morbi pœnis afflictis.

BEnignus eſt Deus operantibus pro peccatoribus. Vnde Abrahæ petenti à Domino vt parceret Sodomitis, qui cum multa fiducia loquebatur, ſemper benigne reſpondit: & quamuis Abraham viſus fuiſſet hominibus importunus, Dominus ei quod petebat benignus conceſſit: vt lucide ponitur *Geneſ.*18. Dixit Dominus Moyſi: *Cerno quod populus iſte duræ ceruicis eſt: dimitte me vt iraſcatur furor meus, & deleam eos.* quaſi benigne diceret: Tu tenes me benigne, pro eis orando. *Exod.* 32. Similia dicebat Hieremiæ oranti pro populo, quem volebat propter peccata delere. *Hierem.*7. Benignus eſt Dominus tribulationem ſuſtinentibus; ideo fugienti Iacob iram fratris ſui, Dominus benigne apparuit, & reuertentem, benigne ab inſecutione defendit. *Geneſ.*33. Loquebatur Dominus Moyſi vt amico, & ipſum à detractoribus pluries liberauit. *Numer.*12. & 14. Heliæ anguſtiato coruus panes & carnes iuſſu Dei cum benignitate ferebat. 3. *Reg.*17. Eidem Heliæ feſſo & tribulato Deus panem & aquam per angelum deſtinauit. *Reg.*3 & 19. Cum Azaria & ſociis eius in fornace vidit Nabuchodonoſor ſimilem filio Dei, ad probandum quod ſemper Deus eſt cum tribulatis, ſuſtinentibus patienter. *Dan.*3. Danieli exiſtenti in lacu leonum Deus benigne miſit coctum per Abacuc de longinquo. *Dan.*14. Diſcipulis de Chriſti

CHRISTI recessu tribulatis ipse Spiritum paraclitum promisit & dedit. *Joan.14. Act.2.* Petrum fluctuantem in mari Dominus benigne de fluctibus liberauit. *Matth.14.* Stephano posito in tribulatione martyrij, Dominus benigne cœlum apertum & seipsum ostendit. *Actor.7.* Joannes existens in Pathmo à Deo est multis reuelationibus consolatus. *Apocal. per totum.* Susannam in maximis tribulationibus & periculo mortis, Deus misericorditer per Danielem liberauit. *Dan.13.* Latronem clamantem in suis tribulationibus; consolatus est eum DOMINVS dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso. Lucæ 23.* Ionam qui deglutitus fuit à pisce, Dominus misericorditer liberauit, vt dicitur *Ionæ cap. 2.* Ex his omnibus colligitur benignitas Dei Omnipotentis. Benignus est Deus iustis & recte viuentibus. Ideo Iacob qui fideliter vixerat & fiducialiter dicebat: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, benigne benedixit ei, vt habetur *Genes. cap.32.* Ezechias Rex dixit: *Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt Deum. 2. Paralip.30.* Misit Dominus benigne angelum Raphaelem, qui Tobiam duxit incolumem & reduxit. *Tob. 5. vsque ad* 12. Magdalenam pio operi intendentem Christus benigne discipulis murmurantibus excusauit. *Matth. 26. Marc.14.* Exaudiuit Dominus innocentem Susannam, & benigne eam ab iniustis senibus liberauit. *Dan.13.* Discipulos iustos Christus benigne defendit tẽpore passionis, dicẽs; *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.*

O quan-

O quanta benignitas. *Ioan.*18. Benignus eſt Dominus prælia ntibus pro iuſtitia, eos confortando & adiuuando; ideò obediuit Dominus voci Ioſue dicenti: Sol contra Gabaon non mouearis. *Ioſ.*10. Gedeoni dedit benigne bis ſignũ in vellere, quod de hoſtibus victoriam obtineret. *Iudic.* 6. Machabæus & qui cum eo erant bis à Deo auxilium acceperunt. 1. *Machab.* 10. Benignus eſt Dominus peccatoribus, & ſpecialiter volentibus pœnitere; ideò benigne pepercit Dauid confitenti peccatum cum à Nathan fuit reprehenſus, vt dicitur 2. *Reg.*12. Licet poſteri Dauid multipliciter peccarent, tamen Dominus multotiens pepercit eis. 3. *Reg.* 17. Præparauit Dominus piſcem qui recepit Ionam, quamuis iuſte ex inobedientia puniretur. *Ion.*2. Statim poſt vocationem Matthæi, benigne cum peccatoribus manducauit. *Matth.* 9. *Marc.* 2. *Lu.* 5. Magdalenæ piæ peccata cõdonauit, & à murmurante Phariſæo eam defendit. *Luc.* 7. Exemplum Chriſti de filio prodigo maximam Chriſti benignitatem ad peccatores oſtendit. *Luc.* 20. Zachæus publicanus qui Chriſtum deſiderabat videre, benigne fuit à Domino viſitatus. *Luc.* 19. Latroni petenti ſui à Chriſto memoriam, in breui, promiſit tempore paradiſum. *Luc.* 23. Magna pietas Chriſti qua Petrum ter negantem non abiecit, ſed potius benigne reſpexit. *Luc.* 22. Thomam nõ credentem non repulit, ſed ſe tangi & palpari permiſit. *Ioan.* 20. Saulum perſecutorem benigne proſtratum cæcauit pariter & conuertit.

Actor.

Actor. 9. Benignus est Dominus debilibus & infirmis, eis sanitatem largiendo. Nam circumibat Iesus totam Galilæam, sanans omnem languorem & infirmitatem: quod nisi fecisset, multi infirmi ad eum non potuissent accedere. *Matth.* 4. *&* 9. Leprosum dicentem: *Domine si vis potes me mundare: extendens manum* Iesus, *tetigit & mundauit. Matth.* 8. A muliere sanguiflua, secundum legem immunda, Iesus se tangi permisit, ipsamque sanauit. *Matth.* 9. De benignitate Dei circa infirmos quos curauit, *vide caput.* 44.

CAPVT XXVI.

De Blasphemia in Deum.

Blasphemi acerbitatem punitionis subeunt.
Iniquitatem transgreßionis committunt:
Benignitatem correptionis omittunt:
Sublimitatem elationis præmittunt.
Malignitatem detractionis immittunt.

BLasphemi in Deum grauiter puniuntur: etiam in præsenti & tamen propter hoc non dimittunt multi. Nam filius mulieris Israelitæ, quia blasphemauerat Deum, iussus est à Domino lapidari. *Leuit.* 14. Vir Dei dixit ad regem Israel, qui dixerat: Deus montium Dominus, & non Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu sua. 3. *Reg.* 20. Multum displicuerunt Domino blasphemiæ seruorum Senacherib regis Assyriorum

ſyriorum, propter quos percuſſit Deus 185.millia hominum de exercitu ſuo. 4. *Reg 19*. Blaſphemi committunt peccatum grauiſſimum; & acriter Deum in ſua iniquitate impugnāt; ideo dixit Heli filijs ſuis: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus.* Si autem in Deum: *quis orabit pro eo?* vt habetur 1. *Reg*. 2. Multum aggrauauit Sathan peccatum Dauid, quod fecerat inimicos blaſphemare nomen Domini. 2. *Reg*. 12. Maius peccatum neſciuit excogitare impia Ieſábel quam blaſphemiam, vt Naboth faceret blaſphemare. 3. *Reg* 21. Blaſphemi quanto magis reprehenduntur & reſpondetur eis, peiores fiunt & amplius blaſphemant: propter quam cauſam prohibuit Ezechias ne populus reſponderet aliquid blaſphemijs Rapſacis, vt habetur 4. *Reg*. 18 & *Eſa*. 36. Cum argueret Hieremias propheta populum, quia ſacrificabat dijs alienis, reſponderunt: *Sermonem Domini non audiemus, ſed ſacrificabimus Reginæ cœli. Hierem* 44. Blaſphemia ex magna ſuperbia & elatione trahitur; ideo ſuperbi ſunt qui blaſphemāt, & maiores ſe Domino reputant. Vnde Nabuchodonoſor dixit tribus pueris: *Quis est Dominus qui eripiat vos de manu mea?* Hæc autē dicebat, quia ſtatuam eius adorare nolebāt. *Dan*. 3. Holofernes indignatus, quia Achior Dei potētiam cōmendauit, dixit: & prophetaſti quod Iſrael defenderetur à Domino, *oſtendam tibi quod non ſit Deus in terra, niſi Nabuchodonoſor. Iud*. 6. Dicentibus Judæis Nicanori: *Est Deus potens in cœlo, qui iubet cuſtodiri Sabbathum,* Reſpondit, *Et*

ego

ego potens in terra, qui iubeo sumere arma. 2 *Machab.* 15. Blasphemant Deum increduli & infideles, detrahentes operibus Dei. Vnde cum Iesus eiecisset dæmonem Pharisæi clamabant, dicentes: *In Beelzebub principe eiicit dæmonia.* *Matth.* 12. *Luc.* 11. Pendente Christo in cruce, prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: *Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.* *Matth.* 27.

CAPVT XXVII.
De Castitate & Continentia.

Castitas sociorum malignitate amittitur,
Flagellorum acerbitate dimittitur,
Præcunctorum vtilitate diligitur,
Clericorum maturitate dirigitur,
Relictorum sobrietate acquiritur,
Sine morum æqualitate perditur.

CAstitas seruatur in societate bonorum, & perditur in societate malorum; in cuius signũ parẽtes nostri dum in Paradiso fuerunt, erãt casti; sed postquã eiecti fuerunt, conuersantes in terra, cognouit Adam vxorem suam Euã. *Gen* 4. Donec Dina fuit cum fratribus suis & patre, fuit casta: sed exiens mulieres videre, est corrupta, vt habetur *Genes.* 34. Castitatem frangentes contra præceptũ Domini, grauiter puniuntur. Nam cũ Sichem violasset Dinam filiam Iacob, fratres eius Sichem & patrem & populum occiderunt. *Gen* 39. Post debel-

debellationem Madianitarum iussit Moyses corruptas iugulari, & virgines seruari. *Numer.* 31. Amon propter deflorationem Thamar ab Absalone in conuiuio est occisus. 2. *Reg* 13. Post violationem vxoris Leuitæ plusquam sexaginta millia virorum sunt occisi. *Iudic.* 20. Castitas cara res est & multum diligenda: & debet homo se morti exponere vt eam custodiat. Ideò Ioseph licet esset iuuenis, & solicitaretur à domina, maluit incarcerari & diffamari, quam perdere castitatem. *Genes.* 39. Iudas qui castus nõ erat, diligebat in alijs castitatem; ideò detestatus est fornicationẽ Thamar. *Genes.* 38. Sic diligebat Sara castitatem, vt diceret: *Tu scis Domine, quia nunquam concupiui virum.* *Tobiæ.* 3. Grauiter fuit Susanna molestata à Senibus: sed nec famam, nec vitam præposuit castitati. *Daniel.* 13. Maria non est oblita votum castitatis tenere, licet angelus diceret ei quod de ea filius Dei nasceretur, vt habetur *Luc.* 1. Castitatem maximè seruare debent Sacerdotes & ministri Dei: In cuius figura dicitur quod mundi debeant esse à mulieribus, qui panes Sacerdotales manducarent, vt habetur 1. *Reg.* 21. Quando mulier Sunamitis volebat loqui Heliseo, tunc Heliseus mittebat puerum, seu seruum, tanquam vitans consortia mulierum. 4. *Regum* 4. Propter illud quod Christus dixit, quod in alio sæculo non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei, ostenditur quod vita ministrorum Dei in terra debet esse casta, vt sequantur vitam cœlestium ministrorum.

rum *Matth*.22. Argumentum est castitatis Prælatis & Clericis, quod Stephanus mulieribus est præpositus. *Actor*.6. Caste debent viuere relictæ & viduæ inter alias mulieres: & quia castitas est eis difficilior, propter voluptates expertas, ad eam seruandam debent intendere ieiuniis orationibus; ideò Judith post mortem viri sui non cognouit alium virum, sed cum puellis suis clausa morabatur, habens cilicium supra lumbos, & ieiunans cunctis diebus. *Iudith*.8. Anna vidua fuit casta, quæ steterat cum viro annis septem tantum, & vidua fuit vsque ad annos octoginta quatuor: quæ nec descendebat de templo, ieiuniis & orationibus vacans. *Luc*.2. Castitas non sufficit sola ad salutem, si non aliis virtutibus & moribus bonis adornatur. Quod ostenditur in parabola de decem virginibus: vbi tot virgines fatuæ exclusæ, sed sapientes introductæ sunt. Quia fatuæ virgines licet castę erant, oleum tamen bonorum operū non habebant, vt lucide habetur *Matth*.25.

CAPVT XXVIII.

De Casu peccati.

Casu peccati cadunt aliquando præsignati boni & vulgaribus
Prædonati donis singularibus.

CAdunt aliquando viri boni in peccatum, & reputati sunt sancti; ideò qui se existimat sta-

re, videat ne cadat. Nam licet primi parentes essent in innocentia sancti, in loco tam eminenti & Domino satis propinquo, nihilominus tamen ceciderunt. *Genes. 3.* Loth qui bonus fuit inter malos, egressus à Sodomis cum duabus filiabus suis, cecidit in peccatum luxuriæ. *Genes.19.* Dauid qui fuit sanctus & electus à Deo, de graui peccato in grauius cecidit: dum post adulterium in seruum Dei fidelem homicidium perpetrauit. 2. *Regum* 11. Iudas cecidit & Petrus, qui erant discipuli Christi & socij: quia vnus tradidit eum, & alius negauit eum. *Matth. 26.* Cadunt aliquando in peccatum homines dotati multis donis, quibus se tueri debebant. Nam angeli ceciderunt, qui fuerunt creati in cœlo, dotati multis dotibus, nullam habentes materiam inclinantem ad casum, vt dicitur *Esaiæ* 14. Salomon dotatus sapientia, cecidit; qui cum amaret alienigenas mulieres, idola propter luxuriam pessimam adorauit. 3. *Regum* 11. Fortissimus Samson, qui mandibula mille viros occiderat, & portas apportauerat ciuitatis, deceptione mulierculæ cecidit, cœcatus & mortuus est. *Judicum* 15.

Caput XXIX.

De Confessione peccatorum.

Confessionem peccatorum efficit defecta accusatio,
Inficit erecta desperatio,
Minuit incepta iteratio,

Con-

Consulit recepta tribulatio,
Perficit accepta reputatio.

Confeßio peccatorum debet esse accusatoria, & nullum debet excusare peccatũ. Ad quod mouebat Dominus Adam, vt cognosceret & accusaret peccatum suum: sed ipse retorsit in Deum & in mulierem, & mulier in serpentem. *Genes.3.* Reprehensus Dauid à Nathan, peccatum suum patenter & humiliter est confessus. 2. *Reg.12.* Similiter cognouit peccatũ numerationis populi, & obtulit se pœnæ portandæ. 2. *Reg* 24. Veniebant ad Ioannem omnis populus Iuda, confitentes peccata sua. *Matth.3. Marc.1.* In cuius figura dixit Christus leprosis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc.17.* Prædicante Paulo, multi veniebant confitentes peccata sua. *Actor.19.* Confeßio peccatorum debet esse cum spe veniæ, & non cum desperatione. Ideo confeßio Cain Deo non placuit, nec ipsi profuit, quantumcunque peccatum recognouerit; quia cum desperatione, iniusta fuit, cum dixit. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Genes.4.* Iudas confessus est peccatum suum, dicens: *Peccaui, tradens sanguinem iustũ, &c.* sed ipsi non profuit; quia cum desperatione fuit. *Matt.26.* Confeßio peccatorũ debet esse cũ proposito vlterius nõ peccandi; ideo Pharaoni dicẽti: *Peccaui*, nõ profuit illa cõfeßio; quia non intẽdebat desistere à peccato, nec derelinquere duritiã cordis sui. *Exo.10.* Simile accidit Saul cum reprehenderet eũ Sa-

re, videat ne cadat. Nam licet primi parentes essent in innocentia sancti, in loco tam eminenti & Domino satis propinquo, nihilominus tamen ceciderunt. *Genes.* 3. Loth qui bonus fuit inter malos, egressus à Sodomis cum duabus filiabus suis, cecidit in peccatum luxuriæ. *Genes.* 19. Dauid qui fuit sanctus & electus à Deo, de graui peccato in grauius cecidit: dum post adulterium in seruum Dei fidelem homicidium perpetrauit. 2. *Regum* 11. Iudas cecidit &, Petrus, qui erant discipuli Christi & socij: quia vnus tradidit eum, & alius negauit eum. *Matth.* 26. Cadunt aliquando in peccatum homines dotati multis donis, quibus se tueri debebant. Nam angeli ceciderunt, qui fuerunt creati in cœlo, dotati multis dotibus, nullam habentes materiam inclinantem ad casum, vt dicitur *Esaiæ* 14. Salomon dotatus sapientia, cecidit; qui cum amaret alienigenas mulieres, idola propter luxuriam pessimam adorauit. 3. *Regum* 11. Fortissimus Samson, qui mandibula mille viros occiderat, & portas apportauerat ciuitatis, deceptione muliierculæ cecidit, cœcatus & mortuus est. *Judicum* 15.

Capvt XXIX.

De Confessione peccatorum.

Confeßionem peccatorum efficit defecta accusatio,
Inficit erecta desperatio,
Minuit incæpta iteratio,

Con-

Consulit recepta tribulatio,
Perficit accepta reputatio.

CONfeßio peccatorum debet esse accusatoria, & nullum debet excusare peccatũ. Ad quod mouebat Dominus Adam, vt cognosceret & accusaret peccatum suum: sed ipse retorsit in Deum & in mulierem,& mulier in serpentem. *Genes.3.* Reprehensus Dauid à Nathan, peccatum suum patenter & humiliter est confessus. 2. *Reg*. 12. Similiter cognouit peccatũ numerationis populi,& obtulit se pœnæ portandæ. 2. *Reg* 24. Veniebant ad Ioannem omnis populus Iuda, confitentes peccata sua. *Matth*. 3. *Marc*. 1. In cuius figura dixit Christus leprosis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. *Luc*. 17. Prædicante Paulo, multi veniebant confitentes peccata sua. *Actor*. 19. Confeßio peccatorum debet esse cum spe veniæ, & non cum desperatione. Ideo confeßio Cain Deo non placuit, nec ipsi profuit, quantumcunque peccatum recognouerit; quia cum desperatione, iniusta fuit, cum dixit. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*. *Genes*. 4. Iudas confessus est peccatum suum, dicens: *Peccaui, tradens sanguinem iustũ, &c.* sed ipsi non profuit; quia cum desperatione fuit. *Matt*. 26. Confeßio peccatorũ debet esse cũ proposito vlterius nõ peccandi; ideo Pharaoni dicẽti: *Peccaui*, nõ profuit illa cõfeßio; quia non intẽdebat desistere à peccato, nec derelinquere duritiã cordis sui. *Exo*. 10. Simile accidit Saul cum reprehenderet eũ Sa-

 muel

muel de obedientia ad Deum.1.*Reg.*15. Sed quia Dauid dixit illud verbum, ſcilicet, *Peccaui*, cum intentione vlterius non peccandi, dixit ei Nathan: *Tranſtulit Dominus peccatum à te.* 2. *Reg.* 12. Confeſſionem inducit aliquando tribulatio & afflictio: cum enim homo tribulatur, cogitat quod pro peccatis ſuis patitur, & Domino confitetur; ideò dicit Pſalmiſta: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt*, ſcilicet ad confeſſionem. *Pſalm.* 15. Afflicti Iſraelitæ per ſerpentes, dixerunt Moyſi: *Peccauimus, quia loquuti ſumus contra te.* *Numer.* 21. Oppreſſi filii Iſrael à Philiſtæis & filiis Amon, tunc confeſſi ſunt, dicentes: *Peccauimus.* *Iud.* 10. Confiteri debent homines quantumcunque iuſti, & ſe peccatores aſſerere & reputare, exemplo Neemiæ, dicentis: *Ego & domus patris mei peccauimus: iniquitatem fecimus.* *Neem.* 1. Orans Daniel, qui erat vir perfectus, dicebat confitendo: *Peccauimus, iniquitatem fecimus.* Daniel. 9. Sextus illorum ſeptem fratrum qui pro Domino ſuſtinebant martyrium dixit: *Hæc patimur, quia peccauimus*, vt dicitur 2. *Machab.* 7.

Capvt XXX.
De Confidentia.

Confidenter debent homines delinquentes prohibere arguendo:
Audientes adhibere referendo:
Inſurgentes cohibere fugiendo:

Vera

Vera gentes edocere disserendo:
Indigentes se prabere in petendo:
Obsequentes se exhibere parendo.

COnfidens debet esse homo ad redarguenda vitia & peccata; ideo confidenter arguit Moyses contra Pharaonem, vt habetur *Exod.5. & infra.* Audacter & confidenter, sed discrete Nathan arguit Dauid de peccato. 2. *Reg.*12. Helias confidenter reprehendit Achab, dicens: *Non ego turbo Israel sed tu.* 3. *Regum* 18. Stephanus audacter & confidenter arguit Iudæos de peccatis eorum, dicens: *O dura ceruice, & insensatis cordibus; vos semper Spiritui sancto resistitis:* vt clare habetur *Actor.*7. Paulus præsente præconsule, Elyman magum acriter reprehendit, lumineque priuauit. *Actor.*13. Confidenter debet homo referre & nunciare audientibus quæ annuncianda sunt; ideo Helias confidenter retulit Ochoziæ regi: *Hæc dicit Dominus, de lectulo quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* 4. *Reg.*1. Heliseus homo magnæ confidentiæ dixit ad Ioram regem: *Quid mihi & tibi? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ.* 4. *Reg.*3. Confidenter & audacter debet homo pugnare pro iustitia, & in prœlijs pusillanimes adiuuare & animare, sicut Ezechias confidenter bellatores ad bellum confortabat, dicens: *Viriliter agite, & confortamini, nolite timere,* 2. *Paralip.*32. Magnæ fuit constantiæ, Neemias, qui ab inimicis non potuit terreri. *Neem.*46. Iudith fuit valde magnanimis,

quando decapitabat Holofernem. *Judith*. 13. Iudas dixit sociis timentibus multitudinem hostium: *Absit vt fugiamus*. 1. *Machab*. 9. Pugnante Jonatha, fugerunt socij; sed videntes eum fortiter præliari, reuersi, victoriam habuerunt. 1. *Machab*. 11. Confidenter debet homo loqui & prædicare publicè veritatem, nec timore nec alia causa declinare ab ea: sicut Mardochæus non declinauit à veritate diuini cultus, adorando Amon, & cõfidenter verbi veritatem loquebatur reginæ. *Hester*. 4. Cœcus illuminatus à Domino audacter cõfitebatur Pharisæis, miraculi veritatem, vt lucide habetur. *Ioan*. 9. Sanctus Petrus qui prius ad vocem ancillæ negauit Christum, recepto Spiritu sancto sic confortatus est, vt audacter coram toto collegio confiteretur eum. *Actor*. 2. & 3. Magnanimis & audax fuit Paulus prædicando coram magistratibus & ciuibus & coram multis iudicibus veritatem. *Actor*. 19. & 20. Confidenter debet homo petere, quod iustum est maxime; sic confidenter petijt Bersabea à Dauid vt Salomon filius eius regnaret. vt habetur 3. *Reg*. 1. Audacter sed indiscrete petijt mater filiorum Zebedæi pro filijs suis eos sedere cũ Christo. *Matth*. 20. Magna fiducia mulier Chananæa filiæ liberationem à Domino postulauit. *Matth* 15 Cum magna fiducia petiit Ioannes proditorem sibi à Domino reuelari. *Ioan*. 13. Ioseph audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Christi. *Matth*. 27. Confidenter & audacter debet homo se parare ad obedientiam Prælatorum, &

vsque

vsque ad mortem; sicut Thomas volens obedire Christo, dicenti: *Eamus in Iudæam iterum*, aliis discipulis timentibus, dixit: *Eamus & nos & moriamur cum illo. Ioan.* 11. Petrus dixit Magistratibus: *Obedire Deo oportet magis quam hominibus. Actor.* 5. De hac materia quærantur plura capita *de Fortitudine cap. 5. per totum.*

CAPVT XXXI.

De Compassione proximi ad proximum.

Compati debet homo carceratis, liberando:
Tribulatis, confortando:
Fatigatis, subleuando:
Morti datis, deplorando:
Obstinatis, supportando:
Viduatis, consolando:
Secum natis, adiuuando:
Re priuatis, res dando:
Infirmatis, visitando:
Euagatis, hospitando.

COmpati debet homo captiuis, & eos pro posse liberare, sicut Abraham audiens captiuum Loth, ei compatiens velociter & viriliter iuuit eum. *Genes.* 4. Filii Israel ducentena millia mulierum & puerorum captiuorum habentes, remiserunt eos: ecce quanta compassio. 2. *Paralip. cap.* 28. Tobias multum compatiebatur captiuis

ptiuis,pascens & redimens eos. *Tob.*1. *&* 2. Abimelech compatiens Hieremiæ in lacum misso, procurauit liberari eum. *Hierem.*38. Darius audiens in lacu leonum esse Danielem, præ dolore dormiuit incœnatus. *Daniel.*14. Compati debet homo omnibus tribulatis, & consolari eos verbis & factis. Sicut Ruben & Iudas, compatientes tribulato Ioseph, nitebantur liberare eũ. *Gen.*37. Dũ Iezabel persequeretur Prophetas, Propheta Domini Abdias cõpatiens, abscondit ex eis centũ, vt habetur 3. *Reg.*18. Hester audita tribulatione populi sui, compatiens eis, se morti exposuit vt liberaret eos: quod & fecit: *Hester.* 7. Discipuli compatientes Chananeæ tribulatæ pro filia, pro eius exauditione Dominum rogauerunt. *Matth.*15. Vt vidit Iesus Mariam flẽtem & propter mortem Lazari tribulatam, compatiens ei fleuit, & Lazarum à mortuis suscitauit. *Ioan.*11. Pendens Christus in cruce, habet compassionem cum matre, quam videbat in anima crucifigi. *Ioan.*19. Compati debet homo fatigatis, & eos refocillare, si potest; ideo Gedeon compatiens socijs fatigatis, postulauit pro eis panes. *Iud.*8. Dauid compatiens lassis socijs non valentibus ire ad bellum & remanentibus ad sarcinas, constituit quod æqua esset pars eorum sicuti bellatorum. 1. *Reg.*30. Compati debet homo mortuis, & specialiter mortuis in malo statu animæ, vel mortuis contra iustitiam; ideò filij Israel compatientes Beniamin & filijs suis, in eorum excidio amarè fleuerunt, licet ab eis fuerint

rint grauiter offensi. *Iudic.* 21. Doluit Dauid de occisione Absalonis, compatiens & sciens eum esse damnatum. 2. *Reg.* 18. Antiochus licet esset malus, audiens Oniam iniuste osse occisum, compatiens fleuit. 2. *Machab.* 4. Compati debet homo peccatoribus obstinatis & iniuriantibus, eis benignè parcendo & supportando, sicut Samuel lugebat Saulum regem, ei compatiēs, quem sciebat à Deo reprobatum, vt habetur 1. *Reg.* 15. Contra nolentes delinquētibus compati, & sibi iniuriātibus parcere, proposuit Christus parabolam de seruo nequam, cui Dominus multa dimiserat, & ipse noluit dimittere pauca; ideò Dominus eum tormentis subijci mandauit, & sibi quod dimiserat repetiuit, vt habetur *Matth.* 18. Compatiendum est Relictis & viduis, eas dulciter consolando; ideò Helias benigne accepit verba Viduæ satis dura, & ei compatiens, filium suscitauit. 3. *Reg.* 17. Similiter compassus est Heliseus viduæ debitis obligatæ, oleum augmentando. 4. *Reg.* 4. Magnum dolorem habuit Onias Sacerdos quando vidit ab Heliodoro templum spoliari, in quo erant deposita viduarum. *Matth.* 3. Vidit Iesus flentem Viduam, compatiens, consolatus est eam, & eius mortuum filium suscitauit. *Luc.* 7. Petrus videns flere Viduas pro morte Thabitæ quæ alebat eis, eas compatiens suscitauit eam, vt eis iterum alimenta præberet. *Act.* 9. Compati debet homo singulariter patriæ & natis in ea, quando vidit eam esse in periculo vel in malo statu. Ideo Neemias audiens

malum ſtatum Hieruſalem, fleuit diebus multis, & tandem conſilium & auxilium arripuit opportunum. *Neem* 1. & poſtea magnam compaſſionem habuit Hieremias de deſtructione ſuæ ciuitatis, plorans & vlulans ſuper eam. *Threnor.1.* Saluator videns ciuitatem Hieruſalem deſtruendam fleuit, compatiens ſuper illam. *Luc.* 19. Compati debet homo pauperibus priuatis temporalibus bonis, & eorum neceſſitatibus ſubuenire; ideo dicebat Iob: *Auris audiens beatificauit me, eo quod pauperem liberaſſem Iob.*29. Multum valet ad compatiendum pauperibus, quod diſceptatio futuri iudicij ſolum de operibus miſericordiæ fiet, exhibitis & non exhibitis, pauperibus & egenis, vt habetur *Matth.* 25. Miſertus eſt Dominus turbæ quę eum expectauerat tribus diebus, & ita pauperes erant vt non haberent quod manducarent: & eis compatiens, de quinque panibus & duobus piſcibus eos ſatiauit. *Ioan.6.& Matth.*10. Similiter cum ſeptem panibus ſatiauit quaſi quatuor millia hominum. *Marc* 8. *& Matth.*15. Compati debet homo infirmis, & eos quantum poteſt iuuare debet. Sic compaſſus eſt Samaritanus homini vulnerato, alligans eius vulnera & imponens eum iumento. *Luc.*10. Petrus videns flere viduas propter mortem Thabitæ quæ alebat eas, eis cōpaſſus eſt. *Act.*9. Quia diues epulo non eſt compaſſus Lazaro vulnerato; ideo ſepultus eſt in inferno. *Luc.* 16. Multum compaſſus eſt Saluator ſurdo & muto, quando ingemuit & ſanauit eum.

Matth.

Matth.9.Marc.7. Quotiens Christus ex compassione infirmos sanauerit, quære *de Miraculis cap. 84.Matth.12.* Compati debet homo peregrinis,& eos vagos recipere,& hospitare & reficere, quando potest. Sic compassus est Abraham angelis, quos credebat homines peregrinos. *Genes.* 18. Loth etiam compatiens peregrinis,angelos,quos credebat esse homines,in hospitiũ introduxit.*Genes.*19.Duo discipuli euntes in Emaus,compatientes peregrino,eum ad hospitium coegerunt.*Luc.* 24.Quomodo autem recipiendi sint peregrini & cum compassione humanè tractandi, quære *infra cap.de Peregrinis.cap.*100.*per tot.*

CAPVT XXXII.

De Consiliis bonis.

Consiliis acquiescendum est,
Angelorum,viriliter erudientium:
Conuictorum,humiliter admonentium:
Peritorum,salubriter instruentium:
Sociorum,fideliter consulentium:
Aduersorum,vtiliter edocentium.

CONsiliis angelorum & sanctorum acquiescẽdum est; ideo legitur quod angeli dederunt consilium Loth vxori eius: quod quia vxor nõ tenuit,versa est in statuã salis.*Gen* 19.Loth etiã,quia nõ statim ascẽdit in mõtẽ, quod angeli cõsuluerũt, duplicẽ incestum commisit: quia cũ duabus filiabus

bus suis peccauit. *Genes.19.* Consiliis bonis consanguineorum non aquiescentes pereunt, vel male eis accidit. Sicut generi Loth, quia non crediderunt Loth socero suo, cum Sodomitis perierunt. *Genes.* 19. Quia fratres Ioseph Ruben non crediderunt & eius consilio, venit super eos turbatio. *Genes.* 42. Filij Beniamin non crediderunt filijs Israel, consulentibus post scelus commissum; ideo perierũt, vt habetur *Iudic.* 20. Bonum consiliũ dedit Pilato vxor sua, sed ipse non credidit, & occidit Christum. *Matth.* 27. Consilium sapientum seruandum est; ideò dicebat filio Tobias: *Consilium semper à sapiente perquire*, vt dicitur *Tob.* 4. Qui non credit consiliis sapientum, perit: sicut filii Israel, qui noluerunt credere Moysi sapienti, & experto dicenti, *non ascendatis*: ideò victi fuerunt. *Numer.* 14 Roboam quia non tenuit consilium sapientũ, perdidit maiorem partem populi, 3. *Reg.* 12. Daniel sapientia Dei plenus dabat bonum consilium, Nabuchodonosor, vt peccata sua eleemosynis redimeret; sed ipse non credidit: ideò in bestiam est mutatus. *Daniel.* 4 Ioseph & Azarias non crediderunt consilio sapientis Iudæ; ideò perdiderunt duo millia virorum. 1. *Machab.* 5. Consiliis amicorum & sociorum credendum est. Nam fidele consilium dabat Achior Holoferni cum quo erat in exercitu; sed quia non credidit, occisus fuit *Iudith.* 5. Godolias, qui non credidit consiliis Iohannan vt sibi caueret, mortem incurrit. *Ierem.* 41. Iudas cum paucis pugnaturus, cõtra multos non credidit:

dit; ideò perdidit vitam. 2. *Machab*. 9. Consilium non solum amicorum, sed etiam inimicorum tenendum est, si est vtile. Nam Absalon non credidit Achitophel. Ideò postea à Ioab tribus lanceis est percussus. 2. *Reg*. 18. Consilium Abner spernens Azahel vt desisteret persequi eum, sed seipsum despiciens, lancea est transfossus. 2. *Reg*. 2. de hoc quære 44. *cap*.

CAPVT XXXIII.

De Consiliis malis.

Consilium malum procedit à fœminis decipientibus:
A subditis contradicentibus:
A reprobis, male loquentibus:
A mundanis, vana docentibus:
A cupidis, lucra quærentibus.

Consilium malarum mulierum detestandum est, nec acquiescendum est eis. Nam Eua malè consuluit & persuasit viro vt de ligni vetiti fructu manducaret: quod & fecit; ideò amænissimum locum Paradisi perdidit. *Genes*. 3. Domina cui seruiebat Ioseph, male consulebat & persuadebat ei vt castitatem perderet. *Genes*. 39. Mulieres suis persuasionibus peruerterunt cor Salomonis vt adoraret idola, vt habetur 3. *Reg*. 11. Athalia mater Ochoziæ regis Iuda, ingressa viam domus Achab, impulit eum vt male ageret, 2. *Paralip*. 22. Stul-

tum

tum consilium dedit Iob eius vxor: sed ipse tanquam sapiens & sanctus non acquieuit ei. *Iob.* 2. Nefandum consilium dedit Herodias filiæ, dicẽs: Nihil aliud petas, nisi caput Ioannis, *Matth.* 14. *Marc.* 6. Consilium malum aliquando dant subditi Principibus & Prælatis, vt eos venire faciant in scandalum & in malum. Sic populus Israel male consuluit Aaron, vt faceret eis vitulum aureum, quem adorarent: quibus Aaron stulte credidit, & scandalum incurrit. *Exod.* 32. Artaxerxes persuasus à subditis æmulis Iudæorum, prohibuit fieri opus templi. 1. *Esdr.* 4. Filij Amon male suggesserunt regi suo, vt dehonestaret nuncios Dauid: propter quod scandalum & odium fuit inter ipsos reges generatum. 2. *Regum* 10. Consilium malum dant peruersi homines vt faciant alios cadere in periculum & peccatum. Sicut Balaam consuluit Balach, vt filios Israel faceret fornicari, & iram Dei incurrere. *Numer.* 24. Ionadab iniquum consilium dedit Amon, vt violaret Thamar sororem suam. 2. *Reg.* 13. Amici Amon male consuluerunt, vt pararet suspendium Mardochæo, in damnum suum. *Hester.* 5. In diebus Antiochi aliqui peruersi ex filiis Israel persuadebant alijs deserere domos, dicentes: Eamus & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt, 1. *Machab.* 1. Elymas magnus peruersè Proconsuli consulebat vt non crederet verbis Pauli. *Actor.* 14. Cum esset Paulus & Barnabas in magno honore, quidam peruersi persuaserunt

popu-

populis, vt lapidarent eos. *Actor.*14. Consilium malum aliquando dant mundani sapientes, quorum Deus stultam facit sapientiam. Sic nefandum consilium dedit Achitophel Absaloni, & tamen erat consilium eius illis diebus quasi consilium Dei, ita sapientis vt omnes excederet, præter Deum. 2. *Regum* 17. Sapientes Pharaonis dederunt consilium insipiens, vt habetur *Esaiæ cap.* 19. Rectores populi & sapientes consuluerunt Sedechiæ, vt occideret Hieremiam. *Hierem* 38. Ad malam suggestionem satraparum statuit Rex Persarum decretum. *Daniel.*6. Consilium malum dant cupidi & auari propter auaritiam. Sicut Menelaus iniquum consilium dedit Andronico, vt occideret Oniam Sacerdotem, vt ipse haberet sacerdotium. 2. *Machab.* 4. Ptolemæus corruptus pecunia consuluit Andronico vt Menelaum absolueret, & faceret Oniam occidi. 2. *Machab.* 4. Quæstores perdito quæstu, persuaserunt Magistratibus, & fecerunt Paulum cædi virgis. *Actor.*16.

CAPVT XXXIV.

De Consolationibus Diuinis.

Consolatur Dominus viriliter patientes;
Humiliter obsequentes;
Salubriter pœnitentes;
Fideliter confugientes:

Hosti-

Hostiliter subsistentes,
Vtiliter incedentes.

CONsolatur Dominus obedientes mandatis suis; ideò Abraham postquam exiuit de terra sua ad mandatum Domini, Dominus consolatus est eum diuersis apparitionibus. *Genes.* 12. 15. *&* 17. Filijs Jsrael qui obedientes Deo exierunt de Ægypto, vt sacrificarent in deserto, misit Dominus consolationem, quando pluit eis in deserto manna & carnes. *Exod.* 16. Consolatur Dominus tribulatos post tempestatem tribulationis dans träquillum consolationis. iuxta illud quod dicebat Psalm. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Ideò fugiente Iacob à facie fratris sui Deus est eum multipliciter consolatus in somno. *Genes.* 28. Moysi exulanti apparuit Dominus in deserto, consolans eum, quod non accidit ei in domo Pharaonis, vt habetur *Exod.* 3. Luctum Iudæorum Dominus conuertit in gaudium, quando per Hester fuerunt à tanto periculo liberati. *Hester.* 9. Notabile est quod filij Jsrael tempore tribulationis, scilicet captiuitatis Babylonicæ habuerunt plures Prophetas, quam tempore Salomonis, in quo fuerunt in magna prosperitate: scilicet Hieremiam in Iudæa. *Hierem.* 1. Ezechielem & Danielem in Chaldæa. *Ezech.* 4. *& Dan.* 4. Paulus sentiebat multas consolationes diuinas in tribulationibus suis. vnde dicebat: *Sicut abundant tribulationes*

Christi

Christi in vobis, ita per Christum abundet consolatio nostra. 2. *Corinth.* 1. Ioannes exul & tribulatus in Pathmo, plures visiones & consolationes habuit quam in prosperitate cum Christo habuerat. *Apocal. per totum.* Consolatur Dominus pœnitentes in multis tribulationibus & necessitatibus & tētationibus, quæ in pœnitentia accidunt; In cuius figura Moyses, qui ieiunauit in monte 40. diebus & 40. noctibus, cibatus fuit diuina consolatione. *Exod.* 24. In huius etiam figura Heliam coruis præcepit, vt pasceretur 3. *Regum* 27. Saluator etiam discipulos existentes in mari (quod pœnitentiam signat) cum haberent ventum, scilicet tētationis contrarium, ingressus ad eos, ipsós est multipliciter consolatus. *Matth* 8. Paulus etiam volens confortare eos qui erant secum in naui, similiter vento contrario, ait: *Astitit mihi angelus Domini, dicens: Ecce donaui & saluaui omnes qui nauigant tecum.* *Actor.* 27. Consolatur Deus præliantes pro Fide & Iustitia, adiuuans & confortans eos in pugna. Sic confortauit Josue, dicens: *Noli timere, non dimittam te, confortare & esto robustus.* *Iosue* 1. Machabæus & qui cum eo erant, videntes sibi adiutorium missum à Domino lætati sunt, & benedixerunt Domino, & confortatis animis conualuerunt. 2. *Machab* 11. Consolatur Deus obsessos corporaliter, & specialiter ab hostibus carceri mancipatos, sic consolatus est Ezechiam Regem, quando interfecit per angelum 185. millia virorum de exercitu Senacherib regis Assyrio-

F rum

rum & eum liberauit. 3. *Reg* 9. Filios Israel obsessos ab Holoferne in Bethulia, consolatus est in victoria eorũ per manum fœminæ Iudith. *Iud.* 10 & 13. Petrum inclusum in carcere Herodis consolatus est per angelum suum, liberans eum. *Act.* 12. Paulũ & Silam positos in carcere Dominus misso terræmotu, consolatus est, frangens vincula, & liberans eos, vt habetur *Act.* 16. Paulum solum positum in custodia Claudij, Dominus per visionem sui mirabiliter consolatus est. *Act.* 23. Consolatur Dominus iustos, vtilia opera facientes. Sic consolatus est Tobiam & Saram, liberando à dæmonio qui viros eius occiderat, vt habetur *Tob.* 8. Danielem iustum bis positum in lacu leonum, Dominus consolatus est per angelum & Abacuc. *Dan.* 6. & 14. Susannam quæ adulterio nolebat consentire, morte damnatam, Dominus per Danielem liberauit. *Dan.* 13. Impleuit Dominus promissum quando in Pentecoste Apostolis Spiritum sanctũ misit. *Act.* 2. De Ecclesia dicitur, quod ædificabatur in timore Domini, & consolatione Spiritus sancti. *Act.* 9.

Capvt XXXV.

De Contemplatione ad Deum.

Contemplantur Deum & illustrantur pœnitentes in religione;
Quiescentes ab occupatione;
Recedentes ab occupatione.

Pressi-

Præsidentes in Prælatione
Abstinentes à comestione;
Consistentes in oratione;
Patientes in tribulatione.

COntemplantur Deum & illustrantur viri religiosi, qui relicta patria & parentibus vadũt in terram religionis sibi à Deo monstratam, vt liberius contemplentur. In cuius figura postquam egressus est Abraham de terra sua & de cognatione sua & venit in terram quam monstrauit ei Dominus; in feruore contemplanti apparuit Dominus. *Genes.* 15. Heliæ fugienti à facie Iezabel (id est, religioso à facie carnalitatis) ostẽsum est quod Dominus non erat in spiritu grandi, i. e. superbiæ: nec in commotione, scilicet auaritiæ; nec in igne, id est, luxuriæ: sed in sibilo auris, id est, quiete contemplationis. 3. *Regum* 19. Ioanni sequestrato à consolatione mundana, reuelata sunt cœlestia, vt habetur *Apocal per totum.* Contemplari possunt Deum viri mente & corpore quieti, non discurrentes nec vagabundi: sicut Esau vir vagus non habuit benedictionem patris, sed Iacob domi remanens benedictionem recepit, & reuelationes plures habuit. *Genes.* 27. Item Iacob requiescens super lapide, post solis occasum, vidit scalam & angelos descendentes & ascendentes. *Genes.* 28. Sara cum ancillis suis ascendit in superius cubiculum, vt oraret & contemplaretur. *Tobiæ cap.* 3. Daniel ingressus est domum suam, & de

nocte reuelatum est ei mysterium. *Dan.3*. Notabile est quod Maria quæ quietè sedebat ad pedes Domini, præponitur Marthæ, quæ ministrabat ei. *Lucæ* 10. Cum Petrus oraret in superiori domo, reuelatum est ei, gentiles non abiiciendos. *Actor.* 10. Contemplari volentes liberius, necesse est esse solitarios & à turba remotos. Sicut Isaac habitans in terra australi, relicta familia, egressus est ad meditandum in agro *Genes.* 24. Post transitum fluminis Iacob solus remansit, & contemplatus est angelum luctantem secum. *Genes.* 32. Heliseus quando voluit orare pro filio Sunamitis, remansit solus & clausit ostium. 4. *Regum* 4. Dauid contemplaturus dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine: & expectabam eum qui saluum me fecit. Psalm.* 5. Dimissa turba Iesus ascendit in montem solus, orare: in quo dat exemplum fugiendi turbas *Matth.* 14. Contemplantur Deum prælati, debitæ prælationis officium exercentes; in cuius figura Moyses pascens oues easque inducens ad interiora deserti, contemplatus est Deum in flamma rubi ardentis. Sic Prælatus ducens populum ad asperam pœnitentiam, deinde contemplatur, vt habetur *Exod.* 3. Iethro dixit Moysi, vt præesset populo in his quæ ad Deum pertinent, id est, in doctrina contemplationis. *Exod.* 18 Prælato ascẽdenti in montem contemplationis, reuelat Dominus quod debeat populo nunciare seruanda. Sicut reuelauit Moysi quando præcepta & cere-

monias

monias ei dedit in monte. *Exod.20.* Loquebatur Dominus Prælatis in contemplatione, sicut loquebatur Moysi facie ad faciem, vt amicus cũ amico. *Exod.33.* Zacharias ingressus templum & offerens sacrificium, contemplatus est angelum nunciantem. *Luc.1.* Contemplantur Deum non crapulosi & ebriosi, sed ieiunantes & sobrij; ideo Moyses stetit cum Domino in monte, contemplãdo, quadraginta diebus panem non manducans, & aquam non bibens. *Exod.24.* Helias ieiunans contemplatus est angelum, qui pauit eum spirituali cibo, qui ambulauit in montem Dei. *3. Regum 19.* Sara vt vacaret liberius orationi & contemplationi, tribus diebus ieiunauit, non manducans neque bibens. *Tobia 3* Danieli ieiunanti & abstinenti ostendit Deus mirabiles visiones in eius contemplatione. *Daniel.2.* Ad Saluatorem nostrum post ieiunium accesserunt angeli & ministrabant ei. *Matth.4.* Saulus prostratus & excæcatus, ieiunans per triduum, vidit mirabiles visiones: & tũc raptus creditur esse in tertium cœlum & ibi audiuisse & vidisse secreta Dei. *Actor.19.* Contemplari debet homo Deum orando, & Deum in Ecclesia horis debitis collaudando: in huius figura Samuelem dormientem in templo, id est, in oratione cõtemplantem, Dominus vocauit. *1. Reg.3.* Dum cantarent psallentes ante Heliseum, facta est super eum manus Domini & prophetauit. *4. Regum 3.* Dicit angelus Danieli oranti: *Egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Dan.9.* Orantibus Apostolis

in die Pentecostes, descendit Spiritus sanctus & illustrauit eos. *Act*. 2. Contemplantur Deum tribulati pro liberatione tribulationum: & sic contemplabatur Iudith, quando videns tribulationē ciuitatis suæ, ingressa oratorium & in cinerem se prosternens, orauit. *Iudith*. 8. Hester videns suum populum in tanta tribulatione & periculo positum, depositis vestibus regijs, induit se sacco, & feruenter orans & contemplans orauit pro liberatione populi. *Hester*. 4. Ezechiele stante in medio captiuorum, facta est super eum manus Domini. *Ezech*. 1.

Capvt XXXVI.

De Correptione fraterna.

Corrigendi sunt fratres & proximi:
Ex intentione miserendi,
Cum discretione arguendi,
Cum læsione resistendi,
Sub affectione diligendi,
Comminatione puniendi,
Executione puniendi,
In contemplatione dirigendi.

Correptio fraterna est opus misericordiæ & pietatis spiritualis, & est opus magis meritorium quā misericordia corporalis; quia corporalis lucratur vitam corporalē, spiritualis vero vitam animæ. Vnde Abraham postquam iurauit Abimelech

lech facere secũ misericordiam, statim increpauit eum. *Genes.21.* Phinees & socij misericorditer egerunt, quod arguerunt fratres suos, qui ædificauerant altare in scandalum filiorũ Israel; & eos conuersos misericorditer susceperunt, satisfactionem acceptantes. *Ios.22.* Misericordiam duplicem fecit Ionathas, quando priorem reprehendendo, temperauit, & Dauid tunc liberauit. 1. *Regum* 19. Perfectam regulam dedit Dominus Petro, dicens: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et, si audierit te, lucratus es fratrem tuum. *Matth.*18. Correctio fraterna debet fieri benigne, discrete & charitatiue: & talis correctio deducit homines errantes ad viam veritatis & pacis. Et sic benigne & discrete compescuit Abraham iurgiũ inter pastores Loth & pastores suos. *Genes.*13. Non cum furore arguit Nathan Dauid de adulterio & homicidio, dicens: Pessime fecisti; scilicet cum discretione, assumpta similitudine, illaqueauit eum verbis oris eius, & eum conuertit. 2. *Regum* 12. Similiter vnus de filijs Prophetarum reprehensurus regem Israel, discrete similitudinem proposuit, & regem conuertit. 3. *Reg.*13. Benigne reprehendit Iudith ciues suos, & fecit eos ab incepto proposito remoueri. *Iudith.* 8. Quia Petrus discrete arguit quosdam irridentes Apostolos, ideo conuertit eos. *Actor.*2. & 3. Post sanationem claudi ostendit Petrus quibusdam eorum culpam, benigne aliqualiter eos excusans, & dulcia verba dicens: Itaque conuersi sunt quinque millia hominum. *Act.*4. Paulus be-

nigne & diſcrete arguit Romanos conuerſos ad fidem. *Roman* 3. Ob quam cauſam diſcrete arguit Ioannes Apoſtolus Eccleſiaſticos, dum reprehendendo eos de malis quę faciebant, ſemper memorabat bona quæ faciebant, vt non deſperarent, ſed magis confortarentur. *Apocal.* 2. & 3. Correctio & reprehenſio non prodeſt obſtinatis: imò deteriores facit; ideo dimittendi ſunt & habendi tanquam hæretici & publicani, vt dicit os veritatis. *Matth.* 8. Satis benigne & dulciter, increpabat Loth Sodomitas: ſed obſtinati non audierunt. *Geneſ* 19. Hebræus vir cum reprehenderetur à Moyſe, in iniurioſa verba obſtinatus prorupit. *Exod.* 2. Filij Iſrael reprehenderunt filios Beniamin de ſcelere vxoris Leuitæ, & voluerunt punire malos: ſed ipſi obſtinati non conſenſerunt; ideo perierunt. *Iudicum* 20. Abner reprehendebat Aſahel de perſecutione eius; ſed ipſe contempſit, ideo perijt 2. *Regum* 2. Pulchre arguebat & conuincebat cæcus Phariſæos, illuminatus à Domino, ſed ipſi obſtinati eiecerunt eum extra templum. *Joan.* 9. Corrigentes & arguentes bonos, diliguntur & honorantur, & correpti meliores efficiuntur; ideo Moyſes reprehenſus à Iehtro quod ſtulto labore conſummaretur, quamuis homo eſſet gentilis, verba eiusnon deſpexit, ſed omnia implens, eum dilexit & honorauit. *Exod.* 18. Daniel diſcrete arguit regem Balthaſar exemplo patris ſui. Rex vero patienter verba audiuit, & ipſum dilexit, & magnifice honorauit. *Daniel.* 5. Corrigendi ſunt duri cum

cum zelo & feruore, & dure & acriter increpandi; ideo Helias cum magno zelo arguebat populum durum, dicens: *Si Deus est Dominus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini illum*, 3. *Reg*.18. Grandi feruore & zelo reprehendebat Heliseus Regem Israel, circumstante exercitu, dicens: *Viuit Dominus in cuius conspectu sto; quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem te, nec respexissem*. 3. *Regum* 3. Ioannes Baptista cum magno feruore dicebat Pharisæis: *Progenies viperarum*. *Matth*3. *Luc*.3. Multa audacia & zelo arguebat Herodem, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. *Matth* 14. *Marc*.6. Vnus de latronibus qui pendebat in cruce, cum magno zelo alterum reprehendebat. *Luc*.23 Stephanus in consilio Iudæorum feruenter & audacter increpauit eos: *Actor*.7. Corrigere debent Prælati subditos suos, & eos de quolibet vitio singulariter arguere; quia vita subditorum debet stare sub manibus Prælatorum. Debent enim eos reprehēdere. Sic Sacerdotes restiterunt, Oziæ volenti offerre incensum, quod non erat sui officii, dicentes: *Non est tui officii adolere incensum*. 3. *Paralip*.26. Item debent eos reprehendere si non seruant iura & statuta Ecclesiæ, sicut reprehendit Esdras filios transmigrationis qui duxerunt contra legem filias alienigenarum. 1. *Esdr*.9. & 10. Item debent reprehendere oppressores minorum & pauperum. Sic Neemias increpauit optimates, propter grauamina quæ à diuitibus imponebantur pauperibus. *Neem*.5.

Item debent eos reprehendere de violatione festorum. Sic arguebat Neemias portantem onera Sabbatho, dicens: *Quæ est hæres mala quam vos facitis, & prophanatis diem Sabbati?* vt habetur *Neem.* 14. Item debent eos reprehendere dure de mendacio, sicut Petrus Ananiam & Zaphiram. *Actor.* 5. Debent increpare subditos de malo exemplo, per quod alij retrahuntur de bono: sicut Paulus Elymam magum dure reprehendit, qui nitebatur auertere proconsulem. *Actor.*13. Reprehendere etiam debent dure Simoniacos: sicut Petrus Simonem magum volentem emere Spiritum sanctum. *Actor.*8. Item de peccato carnis: sicut Apostolus reprehendit Corinthios de fornicatione. 1.*Corinth.*5. Reprehendere etiam debent litigantes. Sic Paulus eosdem Corinthios, qui de sæcularibus negotijs litigabant. 1. *Corinth* 6. Item de irreuerentia circa Sacramenta. Sicut Paulus eosdem de irreuerentia Eucharistiæ. 1. *Corinth.* 11. Magis debent eos arguere de errore circa resurrectionem. 1. *Corinth.*15. Multum debent increpari subditi si non reuerenter honorant Prælatos suos, vt decet: Sic Apostolus reprehendebat eosdem, quod à falsis Apostolis grauia sustinebant, & ipsum non honorabant. 2. *Corinth.*8. Arguendi sunt subditi, vel qui in ingressu religionis vel vitæ spiritualis volunt etiam aliqua tenere de vita sęculari. Sic Paulus arguit Galatas, qui post receptionem Euangelij volebant tenere obseruantias legis. *Galat.*3. Item debent Prælati corrigere subdi-

tos

tos otiosos & pigros: sicut Paulus correxit Thessalonicenses otiosos. 2. *Thessal. vltimo*. Corrigendi sunt ebriosi & crapulosi, non in ipsa crapula & ebrietate (quia tunc non habent intellectum & spiritus claros, sed obfuscatos) sed cum vinum vel crapulam digesserunt. In cuius figura habemus à sapienti Abigayl exemplum, quæ volens reprehendere Nabal super duritiam quam ostendit nũcijs Dauid, noluit tunc dicere illi post prandium statim, sed expectauit tempus opportunum quousque vinum bibitum digessisset, vt habetur 1. *Regum* 25.

CAPVT XXXVII.

De Curiositate humana.

Curiositatem sapientes diligunt per successionem sapientiæ;
Cupiunt accessionem euidentiæ:
Appetunt responsionem eminentiæ;
Exigunt monitionem præsentiæ:

CVriosi desiderant semper noua scire, & ipsa scientia apparere. Ideo prima mulier, quæ desiderauit bonum scire sicut Deus, vocem serpentis audiens, pomum aspexit, & diuinum præceptum contempsit. *Genes*. 3. Discipulorum curiositatem scire volentium tempus secundi aduentus, reprehendit Dominus, dicens: *Nō est vestrum nosse*

nosse tempora vel momenta. Act. 1. Athenienses qui erant curiosi, non vacabant nisi audire vel dicere aliquid nouum, vt semper noua scirent. *Actor.* 17. Curiosi volunt videre semper magna & noua, & aliquando in suum periculum. Nam Dina curiose volens videre mulieres regionis, capta & corrupta est à Sichem. Nota illud de mulieribus. *Genes.*14. Iudæi videntes miracula Dei fieri manifesta, adhuc signa quærebant. *Luca* 11. Herodes curiose desiderabat videre Christum, vt videret ab eo signa fieri. *Luc.*23. Curiosi cupiunt apparere potentes & magni; quod est contra mandatum Dei; ideo præcepit Dominus populo, ne in montẽ ascenderent, id est, alta non saperent, & terminos non transirent. *Exod.*14. Prohibuit Dominus omnẽ curiositatem intrare sacrificium, nisi prius omnia innoluerentur. *Num.* 4. Ozias rex Iuda voluit adolere incẽsum, vt videretur posse fungi officio Sacerdotis, 2. *Paralip.*26. A curiositate processisse videtur vt Simon magus voluerit baptizari: quia videbat signa quæ faciebat Philippus, & ea ad ostẽtationem facere cupiebat. *Actor.* 8. Curiosi debent admoneri & prædicari à prudentibus & bonis viris; quia frequenter conuertuntur, & curiositatem relinquunt; ideo prædicante Apostolo in Epheso, multi qui fuerunt curiosa sectati, congesserunt libros & combusserunt eos coram omnibus discipulis. *Act.*19. Reprehendebat Apostolus quosdam Thessalonicẽses curiosos, curiose & inquiete ambulantes, & nihil operantes. 2. *Thess.*3. Adolescẽtio-

tiores viduas monet Apostolus esse vitandas, quæ sunt frequentervagæ & curiosæ, ociosæ & verbosæ. 1. ad Tim. 4.

CAPVT XXXVIII.
De Decimis & Primitiis.

Decima considerantur quantum ad qualitatem offerentium, & eorum modum.
Ad dignitatem exigentium, & eorum modum.

DEcimæ considerandæ quantum ad eas dantes, & quantum ad Clericos recipientes. Decimas debet dare quilibet, quantumcunque magnus & potens, libenter & de melioribus rebus. Sic fecit Melchisedech, qui dedit Abrahæ decimas de omnibus quæ habebat; qui Melchisedech fuit rex Salem. *Genes.* 14. Dat homo decimas, quia Deus eum custodit, pascit, & vestit, & dirigit; sicut petiuit Iacob *Genes.* 28. Cito debent decimæ dari, sicut præcepit Dominus, dicens: *Decimas & primitias non tardabis. Exod. cap.* 22. De melioribus & pulchrioribus & pinguioribus debent decimæ & primitiæ dari, *Numer.* 11. 18. A fidelibus debent decimæ ad templum præsentari, etiam si Sacerdotes non petant. *Deut* 18. Decimas recipientes sunt Clerici, qui non debent superflua petere; sed Deo vacare & de decimis & primitiis debent esse contenti. *Numer.* 18. Per Sacerdotes recipientes decimas, debent communicari decimæ & primitiæ & alij redditus Ecclesiarum, pauperibus

bus, pupillis & viduis. *Deuter.14.* Sacerdotes qui recipiunt decimas debent vacare ſpiritualibus & diuinis, non temporalibus. 2. *Paral.31.*

Capvt XXXIX.

De Deriſione & Conuicijs.

Deridentur à deriſoribus,
Moderatores malarum affectionum;
Operatores rectarum operationum;
Prædicatores ſanctarum operationum.

DEriſores cum ſuis deriſionibus accedunt pacificos, aliquando nocendo qui prius non habebant intentionem nocendi. Sicut viri Sochot deridentes Gedeonem, ipſis ſic nunciantibus, eum induxeruunt ad nocendum eis, qui prius nocere nolebat. *Iudic.8.* Nabal incitauit Dauid contra ſe & ſocios eius, qui prius fuerant pacifici, propter deriſiones & conuicia dicta nuncijs eorum; niſi per Abigayl fuiſſet retentus. 1. *Regum 25.* Inſttuendi ſunt pueri à parentibus, ne derideant ſenes; quia pueri qui deridebant Heliſeum dicentes: *Aſcende caluo, aſcende calue*, permiſſi ſunt deuorari ab vrſis; qui alias compaſſus, puerum mortuum ſuſcitauit, vt euidentiſſime habetur 4. *Regum 2.* Derident mali & peccatores bonos iuſte operantes, ſiue iuſte operari volentes. Sicut Michol videns ludentem Dauid ante Arcam Domini, de-

ni, derisit eum, dicens: *Quam gloriosus rex est factus.* 2. *Reg.* 6. *Paralip.* 13. & 30. Sanaballat & Tobias deridebant ædificantes muros Hierusalem, id est, mali derident bonos qui in bonis operibus tanquam viuis lapidibus ædificant fideles Ecclesiæ. *Neem.* 4. Nicanor videns holocausta offerri, deridebat offerentes. 1. *Machab.* 7. Derident positi in prosperitate tribulatos, positos in aduersitate: quod maximum malum est. Sic excæcato Tobiæ vxor, parentes & cognati deridebant eum, dicentes: *Vbi est spes tua pro qua eleemosynas faciebas?* *Tob.* 2. Similiter legitur de Job, cui dicit vxor sua: *Adhuc permanes in simplicitate tua?* *Iob.* 2. Saluator noster tempore suæ sanctissimæ passionis multas derisiones, & illusiones recepit: vt daret exemplum tribulatis non curandi de derisionibus mũdanorum, vt dicitur *Matth.* 22. & 23. Deridentur hodie Prædicatores & Prælati missi ad prædicandum; quia veritatem dicunt & prædicant. In cuius figura filij Jsrael deriserunt cursores quos miserat Ezechias 2. *Paralip.* 30. Sic etiam deridebat populus Prophetas missos à Deo, qui eis veritatem annunciabant. 2. *Paral.* 36. Iudæi deridebant populos prædicantes & loquentes varijs linguis, dicentes, eos plenos mero quos Spiritus sanctus repleuerat. *Act.* 2. Cum audissent Athenienses resurrectionem mortuorum quam Paulus prædicabat, irridebant eum. *Luc.* cap. 17.

Capvt XL.

De Detractione & Susurratione.

Detractores habent sanctitatis malignationem:
Fœlicitatis indignationem:
Seueritatis punitionem:
Iniquitatis occasionem:
Sublimitatis elationem:
Et bonitatis peruersionem.

DEtrahunt viri pessimi viris bonis, solum ex malitia multa, falsa plura imponentes. Sicut domina cui seruiebat Joseph inique detraxit ei apud virum suum, imponens ei quod eam voluisset opprimere. *Genes.29.* Similiter Pharao detraxit Moysi, dicens *cui dubium est quod non pessime cogitetis. Exod.* 10. Peiores sunt tales quam Balaam, qui voluit detrahere & maledicere populo Dei. *Numer.* 22. Ancilla pessima detraxit & maledixit Saræ, imponens ei interfectionem virorum. *Tobiæ 3.* Senes illi pessimi Susannam turpiter infamauerunt, magnam falsitatem imponentes ei. *Dan.* 13. Simon male loquebatur de Onia prouisore ciuitatis & defensore gentis. 2. *Machab* 4. Falsi testes detraxerunt Stephano, dicentes: *Homo iste non cessat loqui. Actor.* 7. Detractio vitium est inuidorum, qui inuidentes felicitati aliorum infamant eos, vt deprimant. Sic Principes detraxerunt Dauid apud Achis, vt amouerent eum. 1. *Regum* 29. Æmuli ædifican-

ficantium scripserunt Artaxerxi detrahentes, vt opus faceret intermitti. 1. *Esd*. 4. Principes populi detraxerunt Hieremiæ apud Sedechiam Regem, inuidentes ei. *Hierem*. 38. Viri Chaldæi inuidia moti accusauerunt Iudæos, detrahentes eis coram Rege. *Daniel*. 3. Satrapæ Darij, inuidentes fœlicitati Danielis, detraxerunt ei coram Dario. *Daniel*. 6. Pharisæi inuidentes Christo, multotiens detraxerunt ei, quia cum publicanis conuersabatur. *Matth*. 9. *Luc*. 5. Paulo pluries ex inuidia detractum est. *Actor*. 18. Apud Ephesum. *Actor. cap*. 19. A quibusdam Iudæis in templo. *Actor*. 21. A Tertullo coram Felice rege. *Actor*. 24 Athenis à Pharisæis. *Actor*. 17. Detractores grauiter puniuntur à Deo in præsenti & in futuro. Nam Maria locuta est detrahendo Moysi modica occasione assumpta, sed cito secuta est lepræ pœna. *Numer*. 12. Filii Israel detraxerunt terræ promissionis, in malum suum, quia nullus eorum intrauit eam, sed mortui sunt ab hostibus & bestijs in deserto. *Numer*. 13. & 14. Etiam propter detractionem Chore & complicium eius multi fuerunt occisi. *Numer*. 16. Detractio & accusatio causa est homicidiorum & multorum malorum. Nam hac occasione Boech Idumæi referentis Sauli quod Abimelech confortauerat Dauid, occidit Saul octoginta quinque viros indutos Ephod, & mulieres & paruulos, 1. *Regum* 22. Principes filiorum Amon detrahentes nuncijs Dauid peruerterunt intentionem eius, & fuerunt causa belli debellationis, & homicidiorum

rum multorum. 2. *Regum* 10. Simon Præpositus templi suis malis relationibus faciebat templum Dei despoliari. 2. *Machab*. 3. Mala verba & detractoria quæstuariorum fecerunt Paulum capi & verberari. *Actor*. 6. Detractio à superbia procedit & ambitione: volentes enim exaltari & alios deprimere, detrahunt eis. Sic Absalon ambiens regnum Patris, detrahebat ei, dicens: Non est, qui audiat te constitutus à rege. 2. *Regum* 15. Amon superbus quia non adorabatur à Mardochæo, detraxit omnibus Iudæis coram rege. *Hester*. 3. Alcimus qui volebat fieri, summus Sacerdos, detrahebat Iudæ coram Demetrio, 1. *Machab*. 7. Detractores non debent audiri, nec verbis eorum est adhibenda fides. Nam Siba seruus Miphiboseth nequiter detraxit Domino suo coram Dauid; & Dauid cito fidem adhibuit verbis eius; & ideo peruersum dedit iudicium. 2. *Reg*. 16. Sapiens fuit Alexander rex, qui viros pestilentes qui venerunt aduersus Ionatham detrahentes ei, & interpellantes regem aduersus eum, nullatenus audire voluit. 1. *Machab*. 10. Detractores peruertunt semper bona in mala, vel tanquam mala intentione facta. Nam si ieiunas, dicit te hypocritam; si comedis, voracem; si quiescis, pigrum; si rides, inquietum; si taces, stultum; si loqueris, præsumptuosum; si tua pauperibus das vel erogas, dicit te esse vanum & gloriosum; si non erogas, auarum; si sapiens es, superbum, si religiosus, dicit te hypocritam, si lætæ conuersationis, dissolutum; si aliorum gratiam habes

bes adulatores; si aliorumq; gratiam non habes, maledicus es; si maturitati studes melancholicus es. vnde dicit Chrysostomus: *Sunt quidam peruersi homines similes Pharisæis, qui de omni re quam vident malum iudicant, & in peius interpretantur.* Ideo de Ioanne Baptista multum ieiunante dicebant quidam detractores dæmonium habet; de Iesu autem comedente, dicebant: Ecce homo vorax & potator vini. *Matth.* 11. Viso miraculo de cæco nato detraxerunt Pharisæi, dicentes: *Nos scimus, quia hic homo peccator est*: & maledixerunt illuminato. *Ioan.* 9. Eiecto dæmonio & loquente muto, quidam detrahentes Christo, miraculum peruerterunt, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum,* &c. *Luc.* 11. *Matth.* 12.

CAPVT XLI.

De Discordia & Lite.

Discordia oritur ex inuidentia fraternitatis,
Ex adiacentia cupiditatis,
Ex eminentia sublimitatis,
Ex fraudulentia carnalitatis,
Ex complacentia cupiditatis,
Ex assistentia fidelitatis,
Corrigitur ex prudentia Prælati.

DIscordia multotiens oritur ex inuidia fratrũ, vt patet in prima discordia fratrum, videlicet inter Cain & Abel, quam mouit ex inuidia Cain,

quia munera Abel Deo placebant. *Genes.* 4. Occiso à Dauid Philistæo, & auditis cantantibus: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia*, inuidia motus quia minus dederant sibi persecutus est Dauid. 1. *Regum* 18. In turba erat dissensio de Iesu. Nam dicentibus quibusdam, quia bonus est; quidam moti inuidia, dicebant, quia malus est, & seducit turbam, *Joann.* 7. Aliquando ex inuidia discordant religiosi, sicut baptizato Cornelio à Petro, disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione fideles, inuidentes ei qui gentilis fuerat, *Actor.* 11. Discordiæ fiunt aliquando ex auaritia propter temporalem substantiam. Nam propter multam substantiam quam habebat Abraham & Loth, facta est discordia & rixa inter vtrorumque pastores. *Genes.* 13. Quia Iacob decepit Esau in hæreditate & benedictione paterna, facta est discordia inter eos, *Genes.* 27. Locupletato Isaac, pastores ipsius & pastores vicinorum iurgia inceperunt. *Genes.* 26. Et propter auaritiam & tenacitatem Nabal facta est discordia eius ad Dauid, sed per Abigayl prudentissimam largitatem fuit sapienter sedata, vt dicitur 1. *Regum* 25. Discordiæ oriuntur multotiens ex superbia & ambitione. Nam quia reges Sodomorum à seruitute Chodorlohomor se vindicare volebant factum est bellum à quatuor regibus contra eos. *Genes.* 14. Ex timore perdendi dominium pugnauit Amalech contra Jsrael. *Exod.* 17. Inter Abimelech & viros Sichem qui male fecerunt eum principem, facta est magna discordia.
Iud.

Iudicum 9. Nimis perfida diſcordia facta eſt inter Abſalon & Dauid. 2. *Regum* 15. Et propter ſuperbiam & duram reſponſionem quam Roboam fecit populo, diuiſum eſt regnum. 3. *Regum* 12. Contentio inter diſcipulos facta eſt, quis eorum eſſet maior, quæ per humilitatem ſedata fuit. *Lucæ* 22. Diſcordiæ fiunt frequenter propter mulieres, ſiue propter luxuriam. Nam filij Sodomitæ vallauerunt domum Loth in qua erant angeli in humana ſpecie, vt libidini vacarent. *Geneſ.* 19. Occaſione Dinæ quam Sichem oppreſſit, facta eſt diſcordia, & ſecuta ſunt homicidia. *Geneſ.* 33. Propter vxorem Leuitæ peſſime tractatæ, facta eſt diſcordia tanta, vt exinde bellaretur & ex vna parte tantum 25. millia & centum hominum morerentur. *Iudicum* 20. Quia Thamar violata ab Amon fratre eius, facta eſt diſcordia inter fratres, ex qua frater iuſſit interfici fratrem. 2. *Regum* 12. & 13. Propter vxorem Samſonis alteri traditam, diſſenſio facta eſt cum Philiſtæis. *Iudicum* 15. Diſcordiæ oriuntur aliquando ex vitio gulæ. Sicut accidit de filijs Iſrael, qui iurgati ſunt contra Moyſen ductorem eorum, propter defectum cibi & propter potum. *Exod.* 16. & 17. Attædiati filij manna, rixati ſunt contra Moyſen, petentes carnes. *Numer.* 21. Diſcordia & diſſenſio in diſputatione pro inueniendа veritate vel defendenda fide & faciendis bonis, bona eſt & ſuſtinenda. Ideo Barnaba & Paulo prædicantibus Iconij diuiſa eſt ciuitas, & quidam erant cum Iudæis, quidam vero bonos Apoſtolos

defendebant, vt habetur *Actor.* 14. Vt per Paulum iustitia & per Barnabam misericordia monstraretur, facta est dissensio inter eos propter Ioãnem. *Act.* 15. Cum exclamasset Paulus in Concilio de resurrectione mortuorum, facta est disceptatio inter Pharisæos & Saducæos. *Act.* 20. Discordes ac rixantes debent Prælati & Maiores corrigere, & ad pacem & concordiam exemplis & rationibus prouocare: sicut Moyses corripuit rixantes Hebræos ad inuicem. *Exod.* 2. Mulieres rixantes propter infantem virum, Salomon cum vera iustitia prudenter quietauit. 3. *Reg.* 3. Contentionem discipulorum, quis esset maior Christus sedauit, de sua dans exemplum humilitate. *Luc.* 22. Litigantibus Judæis quomodo Christus possit eis dare carnem suam ad manducandum Saluator multis exhortationibus eos quietauit. *Joan.* 6.

Capvt XLII.

De Duritia & Obstinatione.

Duri & obstinati verbis vtilibus non informantur,
Signis sublimibus non corriguntur,
Auditis correctionibus peiores efficiuntur.

DVri & obstinati in malo per verba & prædicationes non emolliuntur, sicut duri lapides, super quibus si cadat aqua, non mollescunt interius. Sic Heli verbo filios corripuit, sed non profuit,

fuit, vt habetur 1. *Reg.* 2. Samuel satis dixit populo graues conditiones regis, & voluntatem Dei, non potuit tamen immutare animum eorum. 1. *Reg.* 8. Nec per verba Ionathæ admonentis, nec per beneficia, Dominus cor durũ Saulis potuit immutare, vt habetur 1 *Regum* 18. Nabal fuit ita durus, vt ad dulcia verba nunciorũ Dauid flecti non potuerit. 1. *Reg.* 25. Multa verba dixit Abner ad Asahel vt non persequeretur eum, sed ipse non assensit, & occisus crudeliter fuit. 2. *Reg.* 2. Nuncij Ezechiæ instruebant & prædicabant viris Iuda, sed ipsi indurati subsannabant eos. 2. *Paral.* 30. Duri & obstinati quantumcunque viderint signa & mirabilia fieri, propter hoc non mollificant mentes suas. Sic induratum fuit cor Pharaonis, qui ad nulla signa quæ Moyses de mandato Domini faciebat, emolliebatur ad credendum Domino. *Exod.* 5. 6. 7. 8. & 9. Iudæi qui apprehenderunt Jesum, fuerũt durissimi & obstinati, vt neque per signũ prostrationis eorum, neque per signum sanationis auriculæ moti fuerint, *Luc.* 22. *Ioh.* 18. Duri & obstinati non solum non quiescunt, sed etiam si reprehenduntur, peiores fiunt. Nam durior fuit Cain post admonitionem Domini, & fratrem occidit. *Genes.* 4. Obstinati Iudæi, Zacharia increpante & admonente, eum crudeliter occiderunt. 2. *Paralip.* 24. Stephanum increpantem Iudæos de eorum duritia, ipsi eum nequiter lapidauerunt. *Act.* 7.

Capvt XLIII.

De Ecclesia vel Templo.

Ecclesia materialis est
Sine pigritia ædificanda;
Summa lætitia Domino dicanda;
Qui flagitia non sunt perpetranda:
Ibi spurcitia est emendanda;
Est ad officium sic visitanda;
Ibi plebis vitia sunt prædicanda.

ECclesia cum solicitudine & feruore debet à fidelibus ædificari. Ideo feruentior fuit Salomon in ædificatione templi quàm domus suę; quia templum in septem annis, domum vero in duodecim perfecit. 3. *Regum* 7. Magnam curam habuit Dominus de ædificatione Ecclesiæ, quando præcepit Cyro, vt ædificaret ei domum in Hierusalem; quod prius prædixerat per Esaiam. *Esaiæ* 2. & 1. *Esd.* 1. Judæi prius ædificauerunt templum quam muros ciuitatis, licet haberẽt inimicos prope. 1. *Esd.* 3. Ecclesia ædificata debet solenniter & cum gaudio consecrari, in toto vel in parte, scilicet in altari; ideo magnam solẽnitatem fecit Salomon in dedicatione tęmpli. 3. *Regum* 8. Obtenta victoria de inimicis Machabæi, dixerunt: *Ecce contriti sunt inimici nostri qui contaminauerunt templum, ascendamus nunc mundare & inuocare sancta*, id est, dedicare Ecclesiam; nec de suis domibus fecerunt men-

mentionem. 1. *Machab*. 4. Multum debet homo timere violationem dedicationis templi. Nam Iudæi præliaturi cum Nicanore, plus timebant de violatione templi quam de suis proprijs vxoribus & filijs. 2. *Machab*. 15. Ecclesia dedicata debet esse libera & gaudere priuilegio libertatis, vt fugientes ad eam saluentur, nec ibi aliquis occidatur; ideo præcepit Ioiadas pontifex, vt Athalia educeretur, nec ipsi aliquid fieret in templo, vt habetur 4. *Regum* 11. Rex Demetrius statuit vt quicunque fugeret ad templum esset liber. *1. Machab*. 10. Quamuis Iudæi graui odio persequerentur Paulum, tamen propter reuerentiam & libertatem templi noluerunt eum occidere in templo. *Actor*. 22. Ecclesiam debet homo intrare mundus à peccato; in cuius figura dixit Dominus Moysi: *Facies labrum æneum ad lauandum*: & missa aqua lauabant Aaron & filij eius manus suas & pedes cum ingressuri erant tabernaculum. Per manus signantur operationes; per pedes affectiones. *Exod* 30. Non licebat nisi paucis & mundis intrare templum & tangere vasa eius. *Numer*. 4. Quoniam sæpe mundauit Dominus templum, eijciens vendentes & ementes, & mensas, & boues, & columbas, quæ templum reddebant immundum. *Matth*. 21. *Lucæ* 19. Ecclesiam debet homo intrare & sæpe visitare, & specialiter Clerici ad horas canonicas reddendas & orationes offerendas; ideo commendatur Tobias quod frequenter iuit ad templum, orans Deum, nobis in exemplum, 1. *Tob*. 1. Instruendi

sunt

ſunt pueri vt Eccleſiam viſitent, exemplo Chriſti, qui 40. die à natiuitate voluit ad templum deferri, & duodennis in templo in medio doctorum fuit à matre ſua inuentus & reportatus. *Luc.* 2. Petrus & Ioannes aſcenderunt in templũ, ad horam orationis nonam: & tunc ſanatus eſt Claudus, quem Petrus ſanauit. *Act.* 3. Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum commendatur, qui de Æthiopia veniebat in Hieruſalem ad viſitandum templum, & ſedens in curru, legebat Eſaiam Prophetam: quod eſt contra illos qui ad ſacra loca euntes & redeuntes non referunt ſalutaria documenta, ſed vana. *Actor.* 8. Eccleſiam debet homo viſitare frequenter, & prædicationes & documenta audire, quæ debent Prȩlati & religioſi facere, deteſtando vitia & laudãdo virtutes. Exẽplo Chriſti, qui pluries prædicauit & docuit in templo, vt habetur *Matth.* 21. *Luc.* 9. & *Ioan.* 6. Angelus aperto carcere, in quo erant Apoſtoli vincti, dicit eis: *Ite loquimini*, vt habetur Act. 5.

Capvt XLIV.

De Electione Prælatorum.

Electionem ſemper oratio debet præcedere,
Deſignatio ſolet incedere,
Iuſtificatio debet accedere,
Sed malignatio ſolet intercedere.

ELectionem debet præcedere deuota oratio ad Deum, vt Deus eligentium corda illuminet ad eligen-

eligendum. Sic nos instruit Moyses, qui moriturus ante electionem alterius Prælati orauit, dicens: *Prouideas de homine qui sit super multitudinẽ*, vt habetur *Numer*.27. Post mortem Iosuæ orauit populus Domini, & consuluit eum pro duce. *Iud*.10. Apostoli cum eligerent Apostolum loco Iudæ, statuerunt Ioseph & Matthiam, & orantes dixerunt: *Tu Domine qui nosti corda hominum, ostende nobis quem elegeris ex his duobus, Actor*. 1. Elegit Deus aliquando Pręlatos per signa vel per reuelationes: & istæ sunt optimæ Electiones, sicut præcepit Moysi: *Tolle virgam & pone in tabernaculo*. quod cum fecisset inuenit virgam Aaron germinasse: in signum diuinæ electionis. *Numer*.17. De mandato Domini speciali elegit Samuel Dauid, & vnxit eum in regem. 1. *Regum* 16. Barnabam & Paulum elegit Dominus per reuelationem, dicens: *sequimini*, &c. *Actor*.14. Eligendi debent esse boni & iusti, vt iuste & pacifice regant populum. Tales dicit Iethro Moysi esse eligendos monẽs vt eligeret sapientes & timentes Deũ, in quibus esset veritas, & qui oderint auaritiã; nobis & præcipuè religiosis in exẽplum *Exod*.18. Saul quando fuit electus, erat bonus, & non erat in filiis Israel melior. 1. *Reg*.9. Post mortẽ Saul, illi de tribu Iuda elegerũt Dauid bonum in regem. 2. *Reg*.2. Appropinquans morti Dauid dixit: De filijs meis elegit Dominus Salomonem 1. *Paral*.28. Scripsit Dominus rex, dicens: Eligite meliorem de filiis Domini vestri. 4. *Regum* 10. Vocauit Iesus discipulos suos, & elegit ex eis duo-

duodecim meliores quos vocauit Apostolos. *Luc.* 6. Elegerunt Apostoli Stephanum, virum plenum Spiritu sancto & fide. *Actor.* 6. Eligere debent electores prælatum non infirmum, sed fortem, qui possit contra hostes spirituales vel temporales, vel corporales eos defendere, & onera prælationis magnanimiter portare; ideo Moyses videns Madianitas superare populum Dei, ad vlciscendum, elegit duodecim milla virorum de omni tribu fortissimos, qui bellare possent. *Numer.* 13. Videntes filij Israel quod Gedeon viriliter pugnabat, dixerunt: *Dominare tu nobis.* & elegerunt eum in ducem & Dominum. *Iudic.* 8. Maiores natu Galaad elegerunt Jephthe, vt imperaret eis & pugnaret pro eis. *Iudicum* 10. Amici Judæ dixerunt Ionathæ: Ecce Iudas defunctus est, & non est ei similis, te elegemus hodie in principem pro eo, & ducem ad bellandum bellum nostrum, 1. *Machab.* 9. Elegerunt aliquando diuino iudicio, in damnum suum, & mali populi eligentis, sicut Abimelech, qui procurauit eligi per amicos; sed male successit vtrisque. *Iudicum* 9. Parabola de rhamno electo ab arboribus, pertinet ad prælatos malos. *Iudicum* 9. Terribili Dei iudicio factus est rex Jeroboam super decem tribus, qui fuit occasio quod populus recederet à cultura Dei.

3. Regum 12.

Cap.

CAPVT XLV.

De Exhortatione & Prædicatione.

Exhortatio bona solet
Contemnentes non iuuare;
Audientes honorare;
Morientes liberare;
Exercentes recreare;
Delinquentes coarctare;
Patientes confortare;
Per parentes obsecrare;
Negligentes incitare;
Referentes animare;
Non credentes reuocare.

EXhortatio & Prædicatio obstinatis non prodest. Exterior enim exhortatio sine interiori nihil prodest,& parum est efficax. Nam Cain monitus exteriore voce Dei , à concepta nequitia non destitit,sed pium fratrem suum crudeliter occidit. *Genes*.4. Sodomitæ cum admonerentur,male responderunt,& pessime egerunt. *Genes*.19. Hortatus est Abner Asahelem, sed ipse obstinatus nō acquieuit & occisus fuit. 2 *Regum* 2. Cursores Ezechiæ exhortati sunt filios Israel,sed ipsi obstinati destruxerunt eos. 2, *Paral*.30. Satis exhortabatur Daniel Nabuchodonosor vt peccata sua redimeret eleemosynis; sed nihil ei profuit. *Daniel*.14. Exhortationes bonorum audientibus & sequentibus

tibus multum prosunt,& bene accidit eis. Sic bene accidit Iacob, qui acquieuit exhortationibus matris, & benedictionem habuit. *Genes.* 27. Bene successit fratribus Ioseph, qui crediderunt exhortationibus Ruben & Iuda, ne interficerēt Ioseph; quia per eum postea ab inopia sunt subleuati & exaltati. *Genes.* 37. *&* 64. Serui Naaman hortati sunt eum vt crederet verbis Helisei; qui acquieuit, & in Iordane se septies lauit, & sanitatem recepit 4. *Regum* 5. Tobiæ bene accidit, quod credidit exhortationibus Raphael. nam incolumis iuit & rediit, vt habetur *Tobiæ* 6. Exhortatio bona quandoque liberat hominem à morte. nam exhortatione quam fecit soror Moysi filiæ Pharaonis, mulier Hebræa pro nutriendo paruulo cum vocaretur, liberauit Moysen à morte. *Exod. cap.* 2. Bona exhortatio quam fecit Abigail ad Dauid, liberauit Nabal à morte. 1. *Regum* 25. Quia Mardochæus exhortatus est Hester vt rogaret Regem pro populo, populum à periculo eruit. *Hester. cap.* 4. Abimelech exhortatus est Sedechiam, & liberauit Hieremiam à carcere in quo morabatur. *Hierem. cap.* 38. Exhortatio bona laborem & fatigationem minuit, & recreationem tribuit. Nam exhortatione quam fecit Iethro Moysi vt iudices minores statueret, & ipse stulto labore se non consumeret: Diminutus est labor & fatigatio Moysi. *Exod. cap.* 18. Ædificantes templum in Hierusalem de captiuitate reuersos hortabantur Aggeus & Zacharias Prophetæ, & recreabant

eos in laboribus suis. 1. *Esdr.* 5. Desiderans Neemias ædificare muros Hierusalem, hortatus est optimates & magistratus, dicens: *Surgamus, & ædificemus, & alleuiatus est labor, & confortatæ sunt manus eorum in bono.* *Neem.* 2. Exhortatio retrahit à peccato iam in proposito existentes. Sicut exhortatio Abigail ad Dauid eum à peccato homicidij, quod conceperat facere, retraxit, 3. *Regum cap.* 25.

Quādiu vixit Ioiada qui exhortabatur Ioas regem Iuda, tamdiu fuit Ioas bonus; sed eo mortuo, factus est pessimus. Exhortatio enim illius retrahebat eum à malo: & postea quando non habuit exhortationem, ruit in omne peccatum, vt habetur 2. *Paralip.* 24. & 4. *Regum* 12. Ad exhortationem Neemiæ, vsurarii reddiderunt vsuras, & vlterius non acceperunt. *Neem.* 5. Baptista exhortante populum multi baptizabantur, cōfitentes peccata sua. *Matth.* 3. Exhortatio bona tribulatos confortat & tribulationes portare leuius adiuuat. Ideo Tobias adibat omnes in captiuitate positos, exhortans eos, vt habetur *Tobiæ cap.* 1. Tribulato Job venerunt amici eius ad confortandum eum. *Hiob cap.* 2. Primum illorum septem fratrum cum in sartagine torqueretur, cæteri cum matre hortabantur, vna se mori fortiter, dicentes: *Dominus aspicit*: vt habetur 2. *Machab. cap.* 7. Exhortatio bona parentum ad filios facit eos esse bonos. Ideo summopere studere debent parentes filios & filias exhortari: Sicut parentes

vxoris Tobiæ monuerunt eum honorare soceros, maritum diligere & gubernare domum & seipsam irreprehensibilem exhibere. *Tobiæ* 18. Moriturus Mathatias filios efficaciter hortatus est ad agendũ viriliter pro lege Domini: quod ipsi optime seruauerunt. 1. *Machab.* 2. Exhortatio bona incitat & iuuat homines ad bonum & virtutem. Sicut Iudith sua exhortatione animauit homines de Bethulia ad viriliter resistendum Holoferni, & ad complacendum Deo. *Iudith* 8. Iudas Machabæus hortabatur & animabat populum sermonibus bonis. 1. *Machab.* 3. *&* 4. & 2. *Machab.* 8. 10. *&* 11. Paulus & Barnabas hortabantur fratres, & animabant vt permanerent in fide. *Actor.* 14. Exhortationes in prædicationibus debent prædicatores libenter facere: quia eis hoc officium à Deo iniungitur; & quia ex ipsis peccatores & infideles ad Dominum conuertuntur. Propter primum dixit Dominus. *Esaiæ* 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Esaiæ* 57. Hieremias primo de prædicatione se excusauit: postea Domino consulente, consensit. *Hierem.* 1. *&* 2. Factum est verbum Domini ad Ionam Prophetam, vt iret prædicare in Niniuen ciuitatem grandem: qui licet primo fugerit, postea obediuit. *Ion.* 1. *&* 2. Misit Saluator discipulos, dicens; prædicate dicentes: Appropinquabit enim regnum Dei. *Matth.* 10. Exprobrata incredulitate eorum, Christus dicit discipulis suis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Marc.

Marc. 16. Exhortatio prædicationis vtilis est: quia peccatores & infideles ad Deum conuertuntur. Sicut prædicatio Ionæ conuertit Niniuitas, qui propter peccata subuerti debebant. *Ionæ* 3. Petrus in Pentecoste sic efficaciter prædicauit, vt circiter tria millia hominum conuerterit ad fidem. *Actor. cap.* 2. Ad prædicationem Petri tot crediderunt, vt factus sit numerus credentium quinque millia. *Actor.* 4. Prædicantibus Paulo & Barnaba Iconiis, crediderunt multi Iudæi & Græci. *Actor.* 14. Non debet homo prædicator attædiari prædicare legem, nec auditores audire, dummodo sermo sit vtilis. Nam quadam vice prædicauit Paulus vsque ad mediam noctem, vbi quidam adolescens oppressus somno cecidit & mortuus est; quem descendens, suscitauit, & iterum prædicationem resumens, vsque ad diem protraxit. *Actor.* 20. Esdra stante super gradum ligneum, & prædicante siue legente libros à mane vsque ad meridiem, omnis populus congregatus est quasi vir vnus, & aures eorum erant erectæ ad librum. *Neem.* 8.

CAPVT XLVI.

De Fallacijs mulierum.

Fallentes mulieres intendunt
Gulositatis deceptionem:
Veritatis subuersionem:
Carnalitatis accensionem:

Cupiditatis repletionem,
Dei pietatis compaßionem.

FAllacia mulierum est, vt seducant hominem ad omne malum siue vitium. Et quia per vitium gulæ cætera vitia introducuntur, ideo de vitio gulæ homines decipiendo seducunt, vt sic ad spiritualem & corporalem deducant interitum. Nam occasione Euæ primus homo seductus est vt vetitum fructum comederit : ex quo spiritualem & temporalem mortem incurrit. *Genes 3.* Sisaram sitientem ex labore Jahel inuitauit ad portum, & fraudulenter aquam petenti lac tribuit, de cuius potatione sopitum occidit. *Iudicum 4.* Fallaces mulieres sunt, decipiendo mendacijs, quibus multum in fallendo vtuntur. Vnde Sara non solum homines, sed Devm voluit fallere mentiendo, dicens: *Non risi. Genes.* 18. Suis mendaciis addunt aliquando lachrymas falsæ mulieres, vt citius eis credatur. Sic vxor Samsonis fundebat lachrymas, dicens: *Odisti me*, se simulans Samsonem diligere : cuius secretum postea retulit, quod celare promisit. *Judicum* 16. Mentita est Dalila simulans se Samsonem diligere donec secretum suæ fortitudinis reuelaret : quem postea fallens tradidit inimicis. *Iudicum* 16. Fallacias multas inueniunt mulieres, vt viros ad luxuriam trahant, & sic ad suas voluptates alliciant. Nam filiæ Loth bene alios viros decepissent, ex quo patrem taliter deceperunt, vt ad luxuriam eum

& in-

& incestum duplicem prouocauerint. *Genesis* 19. Mulieres Moabitarum fornicari fecerunt filios Israel. *Numer*.25. Domina cui Ioseph seruiebat, fallere eum per luxuriam voluit; sed nequiuit, vt habetur *Genesis cap*.39. Citius deceperunt populum mulieres Moabitæ, quam Dalila, vt habetur *Numer*.30. Licet optima intentione, Iudith Holofernem per accensionem luxuriæ decepit. *Iudith. cap*.10. Herodias per libidinem sic dementauit Herodem, vt decollari faceret Ioannem, quem iustum reputabat. *Marc*.5. *Matth*. 14. Fallacias inueniunt mulieres, auaritia & cupiditate attractæ. Sic Rachel quæ propter auaritiam furata fuerat idola patris sui; & cum pater insecutus, supellectilem Iacob scrutaretur, patrem pulchra adinuentione delusit. *Genes.cap*.31. Saphira per auaritiam furata fuerat precium agri, & credidit Petrum decipere: & ipsa experta est diuinam vltionem. *Actor*. 5. Fallunt aliquando mulieres iniquos, volentes aliis nocere, ex compassione & pietate detrahendo, & eruendo de eorum manibus innocentes. Sicut obstetrices Pharaonem, nolentes interficere pueros filiorum Israel, vt habetur *Exod*.1. Raab exploratores abscondit, & eos ad mortem quærentes illusit. *Ios*.2. Michol fecit fugere Dauid à Saule, quærente eum occidere, & posuit simulachrum in locum suum, & sic delusit Saul & Dauid liberauit. 1. *Regum cap*. 19.

Capvt XLVII.

De Fide ad Deum.

Fides ad Deum;
Commendatorum perfectione ostenditur:
Miraculorum praceßione extenditur;
Inimicorum abiectione attenditur:
Periculorum euasione accenditur;
Mira signorum ostensione defenditur;
In deuotorum saluatione perpenditur;
Prædicatorum instructione infunditur:
Incredulorum vexatione prætenditur.

FIdem habentes magnam & Deo credentes in scriptura commendantur, vt eorum exemplo credamus. Nam credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Gene. 15. Moysen de magna fide commēdat Apostolus, dicens: *Fide Moyses magnus effectus est*. Ad *Hebr*. 11. Mariam virginem de magna fide commendat Elisabeth, dicens: *Beata es quæ credidisti*, quoniam perficientur ea, &c. *Luc*. 10. Commendat Saluator fidem Centurionis dicens: *Non inueni tantam fidem in Israel*. *Matth*. 8. Credentes laudat Dominus dicens eos esse beatos. *Beati qui non viderunt & crediderunt*, &c. *Ioan*. 20. De fide commendatur Stephanus. Nam dicitur Stephanus plenus fide & Spiritu sancto. *Act*. 6. Fides aliquando acquiritur ex miraculis præcedentibus & ostensis. Dum enim homines vident

miracula inducuntur citius ad credendum. Ideo postquam filii Israel transierunt mare miraculose diuisum, & viderunt Pharaonem submersum, timuerunt Deum & crediderunt Deo. *Exod.* 14. Magi videntes stellam eius miraculose monstratam, magnam & nouam fidem receperunt, venientes de longinquo adorare paruulum puerum, ipsum firmiter credentes esse Deum. *Matth.* 2. Viso miraculo de claudo sanato per Petrum & Ioannem, factus est numerus credentium quinque millia. *Actor.* 4. Paulus & Cornelius miraculis conuersi sunt ad fidem. *Actor.* 9. & 10. Proconsul videns Elymam magum per Paulum miraculose cæcatum, credidit. *Actor.* 13. Fidei attribuitur victoria: ipsa enim est quæ triumphum habet de hostibus. Iuxta illud: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Heb. 11. Hæc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Ideo dixit Ionathas cum magna fide armigero suo: *Non est Deo difficile saluare in multis vel paucis:* qui postea victoriam habuit. 1. *Regum* 14. Cum magna fide dixit Dauid ad Goliath: *Tu venis ad me cum gladio, hasta & clypeo: ego autem ad te venio in nomine Domini,* & triumphauit in pugna. 1. *Regum* 18. Magna fides fuit quando dixit Aza: *Domine, non est apud te vlla distantia vtrum in paucis auxiliaris an in pluribus:* & bellando victoriā habuit. 2. *Paralip.* 14. Simile dixit Iudas Machabæus sociis, & fuit triumphator. 1. *Machab.* 3. Fides facit hominem securum in omni periculo, & aufert omnem timorem. Ideo dixit Iosaphat exer-

citui suo : *Credite in Domino Deo, & securi eritis. 2. Paralip.* 20. Esdras venturus in Hierusalem per periculosam viam, uoluit conductum petere à rege, sed cum fide magna conuertit se ad Dominum ieiuniis & orationibus, vt habetur 1. *Esdr.* 8. Videns Neemias tot imminere pericula & laborem ædificantibus, dixit cum fide magna : *Deus noster pugnabit pro nobis, & nos securi faciemus opera. Neem.* 4. Cum magna securitate dixerunt tres pueri regi : *Deus pater eripuit nos de manibus tuis. Dan.* 3. Ex abundāti fide & securitate processerant verba illorum septem fratrum. 2. *Machab.* 7. Fides operatur miracula. Ideo Christus dixit : *Si habueritis tantam fidem quantum granum sinapis, & dixeritis huic monti, tolle & mitte te in mare. Matth.* 21. *Marc.* 11. Dicitur autem ibidem : *Signa autem eos qui in me credent hæc sequentur : In nomine meo eiicient dæmonia Marci vltimo.* Miracula etiam recipiunt fidem habentes. Ideo Dominus propter fidem Centurionis sanauit seruum. *Matth.* 8. Multum debet valere Christianis fides propria, si tantum valuit paralytico aliena, quod sanauit eum. *Luc.* 5. *Matth.* 9. Quia mulier Chananæa magnam fidem habuit, ideo sanitatem filiæ impetrauit. *Matth.* 15. Credens pater pueri lunatici, dixit : *Credo Domine adiuua incredulitatem meam. Marc.* 9. Paulus videns quendam qui nunquam ambulauerat habentem fidem, sanauit eum. *Actor. cap.* 14.

Fides saluat, siue facit homines saluari. Ideo

mulier

mulier patiens fluxum ſanguinis ait intra ſe: *Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.* Et ſequitur: *Confide filia, fides tua ſaluam te fecit.* & ſanata eſt. *Matth. cap.* 9. Magna fuit Magdalenæ fides propter quam CHRISTVS dixit ei: *Fides tua ſaluam te fecit, vade in pace*, vt habetur *Luc. cap.* 7. Cuſtos carceris in quo erat Paulus videns terræmotum, & carcerem apertum, dixit: *Quid me oportet facere vt ſaluus fiam?* reſpondit ei: *Crede in Ieſum, & ſaluus eris. Actor.* 16.

Fidem inſtruunt & inſtruere debent prædicatores verbi Dei ad populum audientem, & ad eam inducere non credentes. Nam prædicante Petro in Pentecoſte, crediderunt millia virorum. *Actor.* 2. Multi Samaritani crediderunt in prædicatione Philippi: & etiam Simon magus. *Actor.* 8. Poſtquam Philippus prædicauit Eunucho: dixit Eunuchus: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari.* Dixit Philippus: *ſi credideris in Deum ex toto corde.* & ait: *Credo Dominum Ieſum Chriſtum. Actor. cap.* 8. Quidam Cyprii & Cyrenenſes loquebantur ad gentes, & multi conuerſi ſunt ad fidem. *Actor.* 11. Fidem non habentes, vel modicam habentes, debent reprehendi & puniri. Ideo Zacharia verbis angeli fidem non adhibente, angelus eum taciturnitate percuſſit, dicens: *Non poteris loqui quouſque hæc fient; pro eo quod non credidiſti. Lucæ* 10. Puniuit Dominus illos de patria ſua, propter carentiam fidei, ſubtrahendo virtutes & miracula. Nam quia ipſi fidem

non

non habebant, ipse ibi virtutes & miracula non ostendebat. *Matth.* 13. Reprehendit Saluator Petrum, dicens: *Modicæ fidei,* quare dubitasti. *Matth.* 14. Thomam etiam non credentem Dominus arguit, dicens: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioan. cap. 20.

Capvt XLVIII.

De Fide magna mulierum.

Fides Sanctarum mulierum magna est:
More virorum sic extolluntur.
Verbis Sanctorum sic obsequuntur.

Fides sanctarum mulierum in Sacra Scriptura extollitur & laudatur. Nam commendat Apostolus ad *Hebreos* 11. Raab meretricem quæ non periit cum incredulis suscipiens nuncios exploratores in pace. De quibus dicitur *Iosue* 2. Commendatur de fide Ruth quæ dixit socrui suæ: Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus, vt habetur *Ruth.* 1. Redarguitur Zacharias ab angelo de incredulitate. Sed Elisabeth commendatur de fide; quia fideliter exclamauit. *Lucæ* 1. De resurrectione Domini multos viros legimus dubitasse, sed de mulieribus nihil legimus tale, sed quod apparuit primo Mariæ Magdalenæ & illa credens & currens, fideliter Apostolis nunciauit. *Matth.* 28. *Marc.* 16. Fidem habent mulieres sanctæ, credendo verbis sanctorum virorum, & eis fidem

dem plenarie adhibendo; sic vidua Sareptena verbis Heliæ fidem adhibuit, licet ille rem multùm difficilem ipsi iuberet. 3. *Reg*. 17. Alia mulier debitis obligata, verbis Helisæi magnam adhibuit fidem, & vasa mutuo acquisiuit, & oleum multiplicatum inuenit. 4. *Reg*. 4. Lidda Purpurissa Paulo instruenti credidit, & baptisata cum omni domo sua fuit. *Actor*. 16. Fidem non solum mulieres, sed omnes debent ore confiteri. Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. *Roman*. 10. Vnde & mundi creatorem & corporum resurrectionem confitebatur illa mulier quæ septem filios ad mortem pro Dei legibus animauit. 2. *Machab*. 7. Anna prophetissa confitebatur Dominum, & loquebatur de illo omni volenti audire. *Luc*. 2. Mulier Samaritana confessa est fidem, dicens: *Scio, vt Meßias venit, qui dicitur Christus. Ioan*. 4. Confessio fidei Marthæ similis fuit confessioni Petri *Ioan*. 11. quia dixit: *Ego credidi, quod tu es Christus filius Dei viui*. vt supra *Ioan*. 11. De fide mulieris sanguifluæ Chananææ, & Magdalenæ, quære *cap*. 16.

CAPVT XLIX.

De Fidelitate homini seruanda.

Fideles debent esse homines,
Obedientia, vere parendo,
Beneuolentia, se diligendo,

In præsentia, bene se regendo;
Pleni scientia, in consulendo;
Et incurrentia pacta tenendo.

Fideles debent esse serui dominis suis & nunquam sibi imposita prætermittere. Sic Eleazar seruus Abrahæ fideliter egit sibi commissum à Domino, quod iuit pro Rebecca nutu eius, vt habetur *Genes.* 24. Iacob fideliter seruiuit Laban, pascendo fideliter & sollicite greges. *Genes.* 31. Erga Dominum suum Ioseph se fideliter habuit, quando vxorem eius vrgentem, tangere recusauit, vt habetur *Genes.* 29. Noluit Dauid tangere suum Dominum, persequentem se, cum potuit eum occidere. 1. *Reg.* 24. Armiger Saul licet indiscrete, tamen fideliter se habuit, quia noluit viuere post mortem eius. 1. *Reg.* 31. Fideliter se habuerunt viri Iabes ad Dominum suum, quem honorifice sepelierunt. 1. *Reg.* 13. Vrias fidelis fuit, nolens requiescere in delicijs quamdiu Joab eius capitaneus esset in exercitu, quantumcunque esset à Dauid vt requiesceret, pluries incitatus. 2. *Regum* 11. Ioab fuit Domino suo valde fidelis, quando capiendo ciuitates, victoriam non sibi sed Domino adscripsit. 2. *Reg.* 13. Tres viri robustissimi viriliter defenderunt Dominum suum, afferentes ei aquam de cisterna Bethleem cum magno periculo vitæ. *Paral.* 11. & 2. *Reg.* 23. Fidelitatem inter se debent seruare amici tempore tribulationis, & alterutrum se iuuare. Sic Ionathas indicauit Dauid iram

patris

patris, & ipsum quantum potuit excusauit 1. *Regum* 19. Dixit Dauid ad filium Abimelech amicum suum: *Non timeas, & non paueas quicquam, qui quæsierint animam tuam, quærent & meam.* 1. *Regum* 22. Cum fugeret Dauid Absalon, dicit ei Ethay: *Viuit Dominus, in quocunque loco fueris, siue in vita siue in morte ero tecum.* 2. *Reg.* 15. Rex Israel dicit regi Iuda amico suo: *Vbi ego, ibi & tu: & sicut populus tuus, sic & populus meus.* 2. *Paralip.* 18. Fideles debent esse Prælati subditis, & eos more boni pastoris & non mercenarij, fideliter defendere; ideo fideliter egit Ioiada Pontifex cum Joas filio Ioram, vt habetur 4 *Regum cap.* 11. Licet ipse male recognouit postea 2. *Paral.* 24. Onias summus Pontifex fideliter laborauit, vt custodiret depositum viduarum & pauperum, quando Simon voluit templum Domini facere spoliari. 2. *Machab. cap.* 3. Fideles debent esse homines in consilijs, & fideliter dare consilium indigentibus. Sic Ioseph fideliter se habuit erga Pharaonem in consilio quod ei dedit, per quod famem euasit. *Genes. cap* 44. Viri Dauid dederunt ei fidele consilium, vt ipse non exiret cum eis ad prælium, vt non extingueretur lucerna Israel. 2. *Regum* 12. Discretum & fidele consilium dederunt Paulo quidam de Azia ne sederet in theatro. *Actor.* 19. Fidelitas seruanda est in promissis, vt homo ex pacto id quod liberè promittit obseruet fideliter: sicut Raab fideliter se habuit cum exploratoribus quos saluare promisit. *Iosue cap.* 2. Iosue etiam fideli-

deliter se habuit erga eam, saluando eam, sicut exploratores promiserant. *Ios*.6. Quamuis Gabaonitæ fefellissent Iosue & populum eius; tamen Iosue & populus eius iuramenta & pacta facta cum eis fideliter seruauerunt, contra hostes eos fideliter defendendo. *Ios*.9.

Caput L.

De Filijs erudiendis.

Filii instruendi sunt à parentibus,
Cum reuerentia Deum timere,
Summâ decentiâ, mala cauere.
Cum complacentia, mores habere.

Filii instruendi sunt & erudiendi. Primo ante omnia, diligendo Deum & reuerendo: quod si non faciunt, pereunt mala morte. Nam quia filius mulieris Israelitæ de viro Ægyptio fuerat male instructus (sicut pluries tales spurii mali sunt, quia non bene à parentibus instruuntur) primus blasphemauit Deum; qui postea fuit à populo de præcepto Domini lapidatus. *Leuit*. 24. Præcepit Dominus filiis Israel, vt docerent filios suos magnalia quæ fecerat eis, vt eum magis honorarent, vt habetur *Deuter*. 10. Sollicitus erat Job de filijs suis, ne forte Deum offenderét. Ideo pro eis quotidie sacrificium offerebat: omnibus parentibus in exemplum. *Job*. 10. Mater septem fratrum mirabiliter instruebat eos in his quæ Dei erant. 2. *Mach*.

*Machab.*7. Filii instruendi, corrigẽdi & increpandi sunt de vitiis quæ committunt. Sic Jacob increpabat Joseph filium suum reuelantem somnia, de superbia & ambitione, per quam videbatur patri & matri & fratribus dominari. *Genes.*33. Arguebat Iacob filios suos de negligentia, dicens: *Quare negligitis. Genes* 42. Quia Heli male corripuit filios suos, ipsi & ipse grauiter sunt puniti. 1. *Regum* 4. Contumax filius & superbus, qui propter patris monita non dimisit peccata, præcipitur à Domino lapidari. *Deuter.*21. Adonias, quia non fuit correptus à patre, volens superbe regnare, fuit à fratre occisus. 3. *Regum* 2. Filii erudiendi sunt, & docendi bonos mores, & operari virtutes. Sicut Dauid appropinquans ad mortem, instruxit filium suum Salomonem de regimine bono, quia regnare debebat. 1. *Paralip.*28. Et *Regum* 2. In tempore debet pater instruere filium vt bene agat. Nam Tobias docuit filium suum ab infantia. *Tobiæ* 1. Et postea in iuuentute *Tob.*4. Postea in morte, vt habetur *Tob. vltimo.* Parentes multum debent instruere filias, quando matrimonio traduntur, vt bene in omnibus se habeant. Sicut parentes Saræ monuerunt eam honorare socrum, diligere maritum, gubernare domum, & regere familiam, & seipsam irreprehensibilem exhibere. *Tobiæ* 18. Quia parentes Susannæ fuerunt iusti, & erudierunt eam, ipsa noluit adulterio cõsentire. *Dan.*13. Mathatias instruxit filios suos, dãs vnum ex eis in ducem, & alium in consiliatorem, omnibus nobilibus in exemplum. 1. *Mach.*2.

Caput LI.

De Fortitudine bona.

Fortes & strenui debent esse viri potentes ad succurrendum:
Pure viuentes, ad asserendum:
Bella gerentes ad confringendum:
Bella regentes, ad acuendum:
Praeuenientes, ad inuadendum:
Se munientes, ad resistendum:
Et patientes, ad sustinendum.

TAlis fuit fortitudo Abrahæ, qui audiens esse captum Loth, assumptis trecentis vernaculis, succurrit ei, & debellauit quatuor reges, & liberauit Loth, & reduxit eum cum tota sua substantia, & populum Sodomorum. *Genes. cap.* 14. Saul fortiter & viriliter succurrit viris Iabes Galaad obsessis, & liberauit eos, vt habetur *1. Regum cap.* 11. Ioiada strenuè eripuit regem de manu Athaliæ, succurrens Ioas paruulo eiecto per eum à regno, & ipsum in regem regni perditi coronauit, vt habetur 4. *Regum.* 11. & 2. *Paralip. cap.* 24. Fortem strenuum & audacem reddit hominem puritas conscientiæ, & ad dicendum & agendum securum. Sic Iacob timens iurgium, dicit ad Laban: *Quam ob culpam,* &c. vt habetur *Genes.* 31. Propter veritatem Iacob, cui femur emarcuit, luctanti cum angelo, dicit angelus ei: Si contra Deum fortis

fortis fuisti quanto magis contra homines præualeas? *Genes.* 31. Moyses purus & innocens audacter, & constanter stetit coram Pharaone, arguens eum. *Exod. cap.* 5. *& seq.* Iudith quia puram & bonam intentionem habebat, contra Holofernem strenuè fecit. *Iudith. cap.* 12. & 13. Fortes sunt bellatores in prælijs, & viriliter & strenuè bellantes, & maxime iustum bellum. Sic Phinees cum duodecim millibus pugnatorum Madianitas, & præter homines & mulieres qui occisi sunt, triginta duo millia virginum duxit in prædam, nec aliquisd e suis est mortuus. *Num.* 31. De Caleph dicitur, quod ita fortis erat ad bellandum, in octuagesimo anno, sicut fuerat in vigesimo, quando fuerat explorator. *Iosue cap.* 14. Gedeon fortissimus in trecentis viris, maximum populum viriliter superauit. Dixerat enim ei angelus: Dominus tecum virorum fortissime. *Iud.* 6. Et post hoc, in illa fortitudine liberauit Israel. *Iudicum cap.* 8. Vnus formidolosus dissipat totum exercitum. Ideo dicit Gedeon: Qui formidolosus est reuertatur. *Iudic. cap.* 7. Samson multa fortia superauit contra Philistæos. *Iudic.* 15. & 16.

Dauid fortiter superauit leonem & vrsum in eremo, & Goliad. 1. *Regum* 17. Forte licet desperati fuerunt duodecim pueri ex parte Dauid, & duodecim ex parte Isboseth. 2. *Regum* 2. Viriliter percussit Iehu duos reges, Joram & Ochoziam, & filios Achab, vt habetur 4. *Regum* 9. & 10. Fortem reddunt exercitum confortationes Principum &

pum &

pum & Ducum exercitus. Ideo Caleph & Iosue viriliter confortauerunt populum, dicentes: Ascendamus & possideamus terram. *Numer. cap.* 13. Moyses dixit ad Iosue: Confortare, & esto robustus, tu introduces populum. *Deuteron.* 27. Pergens Iosue ad bellum contra plures reges, erat in fronte exercitus, confortans alios sequentes: regibus & principibus in exemplum. *Ios* 8. Captis quinque regibus, dixit Iosue principibus: *Ponite pedes super colla regum, & nolite timere. Ios.* 9. Ayoth princeps confortauit populum, dicens: *Sequimini me, tradidit Dominus inimicos nostros in manibus nostris. Iudic.* 3. Iudas Machabæus hortabatur milites suos, dicens: *Estote fortes in bello.* 1. *Machab.* 4. & 2. *Machab.* 8. 10. & 11. Fortis & audax debet esse vir bellator ad præueniendum. Nam, secundum Tullium, Melius est præuenire quam præuiniri. Magnum enim habet auantagium, qui dat primos ictus. Sic peruenit Dauid cum vno milite ad castra Saul, & abstulit sceptrum scyphum & hastam eius, 1. *Regum* 26. Jonathas cum solo armigero intrauit in Philistæos, & per eum filij Israel victoriam habuerunt, vt habetur 1. *Regum* 14. Tres milites Dauid intrauerunt in castra Philistinorum, & diuiserunt eos. 2. *Regum* 23. Iudas Machabæus viriliter transiuit Iordanem & irruit in hostes suos. 1. *Machab.* 5. Eleazar audacter irruit in elephantem & occidit, licet ipse sit postea mortuus. 1. *Mach* 6. Machabæus & socii more leonum irruentes in hostes, occiderunt multitudinem inimicorum

corum 2. *Machab.* 11. Fortis eſt nihilominus & ſtrenuus qui ſtrenue & valenter reſiſtit, licet aliquando præueniatur. Ideo filij Iſrael armati receſſerunt de terra Ægypti, vt ſe ab inſequentibus tuerentur. *Exod.* 13. Filij Jſrael vna manu ædificabant, & alia tenebant gladium, vt reſiſterent inimicis. *Neem.* 4. Audientes filii Iſrael potentiam Holofernis, viriliter parauerunt ſe ad reſiſtendum ei. *Judith.* 4. Magnam fortitudinem habuit Matathias ad reſiſtendum hoſtibus Iudæorum. 1. *Machab.* 2. Fortitudo perfectiſsima eſt tolerantia aduerſariorum. Vnde dicit Philoſophus: *Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio & laborum perpeßio.* Tali fortitudine apud Deum tolerauerunt fornacem pueri dicentes regi: Deus poteſt nos eripere de camino ignis. *Dan.* 3. Stephanus plenus gratia & fortitudine, viriliter ſuſtinuit lapides; & ſic de alijs martyribus.

CAPVT LII.

De Fortitudine mulierum.

Fortes ſunt aliquando mulieres;
Ad virorum liberationem;
Aduerſorum tolerationem,
Ad animorum demonſtrationem.

FOrtes inuentæ ſunt mulieres ad ſaluandum viros, in ſacra Scriptura, & aliquando ſe periculis exponentes. Nam Delbora ſic ſua fortitudine po-

ne populum liberauit cum iudicaret Israel, quod Barach noluit exercitum ducere, ipsa consulente, nisi ipsa iret cum eo. *Iudicum 4.* Viriliter saluauit Abigail virum suum à morte & dissipatione. 1. *Regum 25.* Magno periculo exposuit Hester se, vt populum liberaret à lata sententia. *Hester. 6.* Iudith fuit in magnis periculis, vt Holofernem occideret, & populum liberaret. *Iudith. 13.* Fortes etiam inuentæ sunt mulieres ad sustinendum aduersa. Ideo dixit Boos ad Ruth, quæ erat vidua de sua terra egressa. Scit omnis populus mulierem esse virtutis. *Ruth. 3.* Graue improperium sustinuit Sara filia Raguelis ab ancilla, nec ei respondens: *Tob. 3.* Mulier mater filiorum septem, fuit valde fortiter tormentata, sustinendo duplicia in filijs & etiam in seipsa. 2. *Machab. 7.* In passione filij Maria fuit fortissima; quia stans iuxta crucem, gladius passionis eius ipsius animam pertransiuit, secundum vaticinium Simeonis, vt habetur *Lucæ 2. Ioan. 19.* Fortem facit mulierem & audacem amor inflammans, ita vt calefacta igne amoris, nec paueat quidquid occurrat, vnde inuentæ sunt mulieres, quæ ardore filiorum succensæ leonibus, qui filios rapuerunt, occurrisse leguntur. Sic magna fuit Magdalenæ fortitudo & audacia, quæ à morte Christi succensa, in passione Iudæos armatos & crudelissimos non expauit, totiens ad sepulchrum veniens vallatum custodibus recedentibusque discipulis, non recedebat, audacter etiam dicens; Domine, si tu sustulisti eum,

dicito

dicito mihi, vbi posuisti eum, vt habetur *Ioann. cap.* 20.

CAPVT LIII.

De Fortitudine mala.

Fortes sunt homines mali,
Ad offendendam innocentiam,
Inferendam violentiam,
Postponendam reuerentiam.

FOrtes sunt mali ad nocendum innocentibus; & eis antequam noceãt se multis periculis exponentes, qui postea fine pessimo terminant. Sic fortis fuit Cain, quando insurrexit in fratrem innocentem & occidit eum: sed ipse postea similiter est occisus. *Genes.* 4. Abimelech multum laborauit occidendo 70. fratres suos innocentes. *Jud.* 9. Multis periculis & laboribus exposuit se Saul persequendo Dauid; sed nequitiam sui animi non perfecit, vt dicitur 1. *Regum* 18. Similiter Saul multos labores assumpsit, & periculis se exposuit, & male seruiuit. 2. *Regum* 15. 16. & 17. Plures quam quadraginta Iudæi vouerunt non comedere, donec occiderent Apostolum Paulum innocentem. *Actor. cap.* 23. Fortes sunt mali ad mouenda bella, se multis periculis exponentes. Nam multum laborauerunt illi quatuos Reges, qui post magnam stragem hominum debellauerunt regẽ Sodomorũ, & Loth in captiuitatẽ ducebant. *Gen.* 24.

Terras multas perambulauit & deuastauit Holofernes, multa bella procurans & mouens; tamen vna mulier decapitauit eum antequam compleret desiderium suum. *Iudith per totum*. De hac materia require plura *cap*. 42. Fortes sunt mali homines volendo se contra Deum erigere & opera diuina minuere. Ideo Ieroboam multum laborauit, vt posset populum à domo Dauid & à cultura Dei abducere. 3. *Regum* 12. Antiochus multum laborem sustinuit vt cultum Dei destrueret in Iudæa; & tandem depauperatus & confusus in terra aliena miserabiliter est defunctus. 2. *Machab*. 9. Non solum prudentiores, sed & feruentiores sunt filij huius sæculi filiis lucis. *Luc*. 16. Nam aliis dormientibus discipulis, Iudas tractans proditionem Christi, solicite vigilabat. *Matth*. 26. Principes Sacerdotum multa solicitudine fatigati sunt, vt nomen Christi possent extinguere. Nam custodes sepulchri corruperunt pecunia. *Matth vlt*. Et discipulos eius incarcerauerunt, & præceperunt ne in nomine Iesu loquerentur. *Actor*. 4.

CAPVT LIV.

De Gratiis agendis Deo.

Grates sunt reddendæ;
Pro beneficiorum receptione gratifica,
Periculorum euasione mirifica,
Inimicorum eiectione magnifica,

Pro

Pro filiorum adoptione califica,
Pro infirmorum sanatione deifica,
Pro ciborum assumptione pacifica.

GRates sunt agendæ & reddendæ Deo generaliter pro multitudine beneficiorum, quæ à Deo recepimus; ideo Jacob post multa beneficia quæ à Deo abundanter receperat, ditatus, plenus liberis & omnibus bonis, gratias agebat Domino, dicens: *Domine memor sum omnium, &c. Genes.* 32. Audiens Dauid multa beneficia sibi promissa, gratias humiliter egit. 2. *Reg.* 7. Daniel de multis beneficiis quæ à Deo acceperat, benedixit Dominum, dicens: *Sit nomen Domini benedictum. Dan.* 2. Paulus Apost. gratias agebat pro beneficijs sibi à Deo collatis, dicens: *Gratias ago Deo meo.* 1. *Corinth.* 1. Item gratias agebat pro beneficijs fratribus collatis, & omnes homines ad agendas gratias inducebat, dicens: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Ephes.* 5. & 1. *Thes.* 5. Gratiæ reddendæ sunt Deo singulariter pro liberatione & euasione periculorum & tribulationum; ideo voluit Dominus vt tribulatio filiorum Israel de seruitute Pharaonis nunquam recederet ab eorum memoria, dicens: *Erit quasi signum in manu tua. Exod.* 13. Postquam filij Israel liberati sunt, transito mari rubro, dixerunt: *Cantemus Domino gloriose. Exod.* 15. Tres pueri benedicebant Deum, de ignis incendio liberati. *Dan.* 3. Scripserunt Iudæi & populus Aristobulo de magnis

gnis periculis liberati, 2. *Machab.* 1. Gratiæ reddendæ ſunt Deo pro triumphis & victorijs inimicorum, quas diuina bonitate obtinuerunt; ideo poſt mirabilem victoriam habitam à filiis Iſrael obtulerunt Domino dona. *Numer.* 31. Similiter poſt victoriam de Siſara, Barach & Delbora Domino gratias cecinerunt. *Iud.* 4. Habita victoria & mundato templo per Iudam Machabæum, benedixerunt in cœlum. 1. *Machab.* 4. Victo & debellato Timotheo ſimiliter per Judam in hymnis & confeſſionibus benedicebant. 2. *Mach.* 10. Gratiæ referendæ ſunt Deo pro impetratione ſiue redemptione filiorum bonorum. Sic laudauit Dominum Anna pro gratia quam accepit, ablato ſterilitatis opprobrio. 1. *Reg.* 2. De Salomone dicitur: *Benedictus Dominus, qui dedit Dauid filium ſapientiſsimum.* 3. *Reg.* 5. Poſt conceptionem filij Dei in ſe, B. Maria Virgo laudauit Dominum, dicens: *Magnificat anima mea Dominum,* &c. *Luc.* 1. Nato Ioanne, Zacharias laudauit Dominum, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael,* &c. *Luc.* 1. Gratias debet homo agere pro ſanitate à Deo recepta, vel in ſe vel in alio. Nam cum Tobias recuperaſſet viſum, ipſe & vxor eius & nati glorificabant Deum. *Tob.* 11. Turbæ videntes paralyticum curatum à Domino, glorificabant Dominum qui dedit talem poteſtatem, &c. *Matth.* 9. *Marc.* 2. Poſt vitam & ſalutem adoleſcenti aditam, accepit omnes timor & glorificabant Deum. *Luc.* 7. Vnus de decem leproſis curatus, reuerſus eſt cum magna voce magnifi-

gnificās Dominum. *Luc.*22. Claudus ſanatus à Petro ſurrexit, & ambulans, & exiliens, laudans Deū. *Act.*3. Gratias referre debēt homines Deo pro victu quem Dominus conceſſit eis ad ſuſtinendam vitam corporalem. Sicut Religioſi faciunt, exemplo Chriſti & omnium Apoſtolorum. Debemus autem Deum laudare ante aſſumptionem cibi qui parat nobis eſcas, & omni carni aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Sic fecit Chriſtus ante multiplicationem panū, quandovoluit turbam paſcere in deſerto: qui ſuſpexit in cœlum gratias agens. *Matth.*14. Poſt cœnam etiam laudare debemus Deum, & gratias referre, qui nos ſatiauit & pauit, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, qui poſt cœnam dixerunt hymnum antequam exirent in montem. *Matth.*26. In præparatione ſpiritualis & angelici cibi, ſcilic. Euchariſtiæ, & in eius conſecratione & communione agendæ ſunt Deo magnæ gratiæ, exemplo Chriſti, qui accepit panem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, & gratias agens, benedixit. *Matth.*26.

CAPVT LV.

De Gratitudine ſeruanda homini.

Gratus debet eſſe homo,
Liberantibus operoſe,
Dona dantibus generoſe,
Declarantibus ſerioſe,

Amicantibus gratiose,
Laborantibus virtuose.

GRatus debet esse homo ei qui eum de aliquo periculo liberauit, vel in aliqua tribulatione iuuit. Sic gratus fuit Abrahæ rex Sodomorum, qui liberauit eum & populum suum de præda quatuor Regum, offerens ei omnia spolia; sed ille liberalis nihil voluit recipere. *Genes.*14. Quia Moyses liberauit filios Iethro Sacerdotis, fuit ei gratus. *Exod.*2. Bene remunerauit Iosue Raab, quæ liberauerat exploratores ab hostibus. *Iosue* 6. Cum Gedeon liberasset populum, gratus populus dixit: *Dominare tu nobis. Iud.*8.*cap.* Tobias gratus fuit Raphaeli, qui liberauerat eum à cæcitate, vxorem à dæmonio, & filium à deuoratione piscis, offerens ei multa: quia hominem credebat eum esse. *Tob.*12. Naam liberatus à lepra, multa dona obtulit Heliseo, licet ipse renueret. 4. *Reg.*5. Gratus debet esse homo laboranti & fatigato in eius seruitio ei retribuendo vt decet: ideo Abraham oblata à Rege Sodomorum, licet per se tanquam liberalis respuerat, voluit tamen vt socii partem prædæ haberent, qui secum pro eo fatigati fuerant. *Genes.*14. Dicit Laban ad Iacob: *Nam quia frater meus es seruies mihi gratis. Genes.*29. Regratiatus est Dauid seruis & viris Iabes, qui laborauerant ad sepeliendum Saul, dicens: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul & sepelistis eum,* 2. *Reg.*2. Helias ascensurus

ſurus in paradiſum remunerauit Heliſeum, qui ſeruierat ei 4. *Reg*. 2. Gratus debet homo eſſe illis à quibus recepit dona vel bona, cui ſemper obligatus eſt, ſi non retribuit; ideo Laban videns iocalia quæ ſeruus Abrahæ dederat Rebeccæ ſorori ſuæ, dixit ei: *Ingredere benedicte Domine, cur foris ſtas? & præparauit ei conuiuium* Geneſ. 24. Quia regina Saba multa dederat Salomoni, retribuit ei Salomon, ſicut gratus. 3. *Reg*. 10. Helias propter beneficia recepta à vidua, eius filium à morte ſuſcitauit. 3. *Reg*. 17. Heliſeus bene remunerauit mulierem Sunamitem, apud quam tranſire & habitare conſiteuerat, impetrans ei filium & ſuſcitans. 4. *Reg*. 4. Plene recognoſcebat Paulus collata beneficia, dicens: *Sicut angelum Dei recepiſtis me. Galat*. 4. Grati debent eſſe homines multum inſtructoribus & doctoribus. Quia vt commentator ait: *Patribus & Doctoribus non poſſumus reddere æqualia, nec poſſumus eſſe nimis grati.* Sic Pharao multum fuit gratus Ioſeph, qui eum viſionē & interpretationem docuit, & in agendis conſuluit: quē Pharao magnifice ſublimauit. *Geneſ*. 41. Nabuchodonoſor & Balthaſar bene retribuerunt Danieli pro eruditione eorum & interpretatione viſionum & ſomniorum. *Dan*. 2. & 5 Gratus debet eſſe homo amicis & hæredibus eorum; ideò quia Cyneus amicus fuerat & bene ſe habuerat de filijs Iſrael, pepercerat ei Saul. 1. *Reg*. 15. Dicit Dauid ad Abimelech, cuius pater fuerat mortuus: *pro eo mane mecum, qui quæſierit animam tuam, quæ-*

ret meam. 1.*Reg*.22. Retribuit Dauid gratiam Miphiboſeth pro gratia & amicitia patris, vt dicitur 1.*Regum* 9.

Capvt LVI.

De Gula & Ebrietate.

Gulæ vitium ſolet
Inducere tentationes,
Generum adducere pollutiones;
Mentis inducere cœcationes,
Iuris deducere ſubuerſiones,
Cordis perducere durationes,
Necis prædúcere occaſiones.

GVlæ vitium in tentatione obtinet primum locũ. Nam quia comedere & bibere ſunt de neceſſitate naturæ, diabolus ibi laqueum tentationis abſcondit, vbi neceſſitatem eſſe oſtendit. Sic enim vitio gulæ primum hominem in paradiſo tentauit, imò & vicit. *Geneſ.3.* Prima tentatio filiorum Iſrael fuit de potu, ſecunda de cibo. *Exod.* 16.*&* 17. Volens diabolus Saluatorem experiri, prius ipſum de gula quàm de alio vitio tẽtauit vel tentari permiſit. *Matth.*4. Gulæ vitium incendit & luxuriam nutrit. Ideo venter & genitalia ſunt propinqua: eoque venter mero æſtuans facile deſpumat in libidinem. Hinc eſt quod Loth qui in Sodomis bonus fuit, inebriatus, cum propriis filiabus peccauit, & duplicem inceſtũ commiſit. *Geneſ.*

*Genes.*19.In cuius figura dictum est: *Spiritus immũdus*.id est,luxuria,*habitat in sepulchris*, id est,in hominibus gulosis. Iuxta illud Psalm.*Sepulchrũ patens est guttur eorum.* Et dæmones petierũt in porcos intrare, id est, tentatione luxuriæ, in gulosos. *Luc.*8.*Marc.*5. Gulæ vitium hominem infatuat & demẽtat ,| ita vt seipsum & quicquid facere debet non cognoscat. Nam Noe qui erat vir perfectus, inebriatus sic dementatus est, vt postposita omni verecundia denudatus iaceret.*Gen.*9.Satis stultus & demens factus est Esau qui propter lentis edulium,vendidit primogeniturã fratri suo,*Gen.*25.In quæstione trium sapientum de fortitudine, dixit vnus:*Vinum preualet omnibus qui bibunt illud.* præualet,id est,mutãdo sapientẽ in stultum. 3.*Esd.*3.In Esaia dicitur: *Absorpti sunt à vino*,scil.propter ebrietatẽ,vt dicitur *Esa*,28. Gulæ vitium deordinat hominem in omnibus,scil.in ludis, in verbis,in actibus,& in omnibus operibus malis.Ideo sedit populus manducare & bibere , & surrexerunt ludere.*Exod.*32. In epulis homines fiunt loquaciores, & inordinate audaciores ; ideo Sichemitæ inter epulas & pocula maledicebant Abimelech.*Iud.*9. De inordinato populo dicitur: *Comederunt & saturati & impinguati sunt,& prouocauerunt te* , scilicet propter inordinationes suas.*Neem.*9.De inordinatione gulosorum dicitur:Vocauit Deus ad fletum & ad planctum.Et ecce gaudium & lætitiam, occidere vitulos, iugulare arietes,bibere vinũ , & cõedere carnes. Comedamus & bibamus:cras.n. morie-

ret meam. 1.*Reg*.22. Retribuit Dauid gratiam Miphiboſeth pro gratia & amicitia patris, vt dicitur 1.*Regum* 9.

Capvt LVI.

De Gula & Ebrietate.

Gulæ vitium ſolet
Inducere tentationes,
Generum adducere pollutiones;
Mentis inducere cœcationes,
Iuris deducere ſubuerſiones,
Cordis perducere durationes,
Necis prædücere occaſiones.

GVlæ vitium in tentatione obtinet primum locũ. Nam quia comedere & bibere ſunt de neceſſitate naturæ, diabolus ibi laqueum tentationis abſcondit, vbi neceſſitatem eſſe oſtendit. Sic enim vitio gulæ primum hominem in paradiſo tentauit, imò & vicit. *Geneſ.3.* Prima tentatio filiorum Iſrael fuit de potu, ſecunda de cibo. *Exod.* 16.& 17. Volens diabolus Saluatorem experiri, prius ipſum de gula quam de alio vitio tẽtauit vel tentari permiſit. *Matth.*4. Gulæ vitium incendit & luxuriam nutrit. Ideo venter & genitalia ſunt propinqua: eoque venter mero æſtuans facile deſpumat in libidinem. Hinc eſt quod Loth qui in Sodomis bonus fuit, inebriatus, cum propriis filiabus peccauit, & duplicem inceſtũ commiſit.
Geneſ.

*Genes.*19. In cuius figura dictum est: *Spiritus immũdus.* id est, luxuria, *habitat in sepulchris*, id est, in hominibus gulosis. Iuxta illud Psalm. *Sepulchrũ patens est guttur eorum.* Et dæmones petierũt in porcos intrare, id est, tentatione luxuriæ, in gulosos. *Luc.*8. *Marc.*5. Gulæ vitium hominem infatuat & demẽtat, ita vt seipsum & quicquid facere debet non cognoscat. Nam Noe qui erat vir perfectus, inebriatus sic dementatus est, vt postposita omni verecundia denudatus iaceret. *Gen.*9. Satis stultus & demens factus est Esau qui propter lentis edulium, vendidit primogeniturã fratri suo, *Gen.*25. In quæstione trium sapientum de fortitudine, dixit vnus: *Vinum preualet omnibus qui bibunt illud.* præualet, id est, mutãdo sapientẽ in stultum. 3. *Esd.*3. In Esaia dicitur: *Absorpti sunt à vino*, scil. propter ebrietatẽ, vt dicitur *Esa.*28. Gulæ vitium deordinat hominem in omnibus, scil. in ludis, in verbis, in actibus, & in omnibus operibus malis. Ideo sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. *Exod.*32. In epulis homines fiunt loquaciores, & inordinate audaciores; ideo Sichemitæ inter epulas & pocula maledicebant Abimelech. *Iud.*9. De inordinato populo dicitur: *Comederunt & saturati & impinguati sunt, & prouocauerunt te*, scilicet propter inordinationes suas. *Neem.*9. De inordinatione gulosorum dicitur: Vocauit Deus ad fletum & ad planctum. Et ecce gaudium & lætitiam, occidere vitulos, iugulare arietes, bibere vinũ, & cõedere carnes. Comedamus & bibamus: cras. n.

moriemur. *Esa.22.* Propter inordinationes filiorum suorũ in commessationibus & in epulis Iob offerebat quotidie holocausta *Iob.1.* Propter inordinata verba in epulis dicta, diues epulo cruciabatur in lingua. *Luc.16.* Gulæ vitium etsi detestabile est in omnibus hominibus, in clericis tamen & religiosis est magis detestandum; ideo dixit Dominus ad Aaron: *Vinum & omne quod inebriat non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis tabernaculum. Leuit.*10. *Numer.*16. Filij Heli Sacerdotis qui in tabernaculo seruiebant, nolebant accipere carnes coctas in sacrificijs, sed crudas, vt lautius suæ cupiditati præpararent. 1. *Reg.*2. Religiosi & Clerici qui habent circa diuina obsequia sedulò deseruire attendere debent ad discipulos, qui post cœnam inertes erant, & oculi eorum erant grauati à somno, vt non possent cũ Domino vna hora in oratione solummodo vigilare. *Matth.*26. Gulæ vitium multoties causa vel occasio est mortis. Nam iuxta sapientis sententiam: *Per crapulam multi perierunt.* Vnde Philistæis epulantibus & lætantibus, domus cecidit super eos. *Iud.*16. Amon in conuiuio temulentus fuit ab Absalone occisus 2. *Reg.*13. Comedit Jonathas modicum mellis contra præceptum patris, & fuit condemnatus ad mortem; sed populus ipsum liberauit. 1. *Regum* 14. Benadab rex Syriæ temulentus, per Principum prouinciarum pueros ad mortem fugatus est 3. *Reg.*20. Filiis Iob vescentibus & bibentibus vinum, domus cecidit super eos, & oppressit

preſſit eos. *Iob*, 1. Propter ebrietatem Holofernis, Iudith habuit oportunitatem ad eum occidendum. *Iudith* 12. Reuerſus Amon à conuiuio lætus, ſtatim fuit cum duabus filiabus & cum decem filijs occiſus. *Heſter*. 9. Fecit Ptolemeus conuiuium Simoni, & eum cum duobus filijs interfecit. 1. *Machab. vlt.* In conuiuio natalis Herodis regis fuit innocens ſanctus Ioannes Baptiſta propter veritatem miſerrime decollatus, vt habetur *Marc*. 6. *Matth*. 14.

CAPVT LVII.

De Homicidio & occaſione.

Homicidia committuntur.
Ab inuidentium iniquitate,
A defendentium nobilitate,
A ſuperbientium ſublimitate,
A laſciuientium carnalitate,
A decipientium ſeueritate,
Ex retinentium iniquitate,
Sed delinquentium pœnam penſate.

HOmicidium procedit aliquando ex inuidia, quia videt aliquis illum cui inuidet proſperare, occidit eum, ne proſperet amplius. Sicut Cain motus inuidia fratrem ſuum occidit. *Geneſ*. 4. Tãta erat affectio Saul ad occidendum Dauid, propter inuidiam quam habebat in eum, vt ipſum nõ valens

valens occidere, occiderit Abimelech, quia confortauerat Dauid, & occidit similiter alios Sacerdotes cum mulieribus & paruulis eorundem. 1. *Reg.* 22. Judæi occiderunt Saluatorem, solum moti inuidia. Sciebat enim Pilatus quod solùm propter inuidiam tradidissent eum. *Matth.* 27. Homicidium fit aliquando propter defensionem suam vel aliorum; sic Moyses occidit Ægyptium calumniantem Hebræum, vt defenderet fratrem suum. *Exod* 2. Aliquando occidit homo aliquem propter defensionem patriæ vel gentis suæ. Sic Dauid occidit Goliam propter defensionem populi sui Jsrael, cui ille plurimum insultabat, vt habetur 1. *Reg.* 17. Occidit Abner Asahel persequentem se ad occidendum, nec volentem à persecutione desistere. 2. *Reg.* 2. Homicidia aliquando committuntur propter superbiam & ambitionem dominij. Sicut Abimelech occidit septuaginta fratres suos, vt ipse solus dominium obtineret. *Iudic.* 9. Zambri occidit Elam dominum suum temulentum, vt regnaret post eum. 3. *Reg.* 16. Athalia tanta libidine exarsit dominandi, vt omne semen regium interfecerit. 4. *Reg.* 11. Sellus cogitauit contra Zachariam dominum suum, & interfecit eum, vt regnaret post eum 4. *Reg.* 15. Ptolemæus occidi fecit Alexandrum regem, vt regnum quod desiderauerat possideret. 1. *Machab.* 11. Homicidia fiunt sæpe propter luxuriam, propter quam causam tam in Sacra Scriptura, quam in antiquorum gestis multi leguntur occisi. Nam propter luxuriam Si-

chem

chem deflorans Dinam filiam Iacob, ipse cum patre & populo ab ipsis Dinæ fratribus est occisus. *Genes.* 34. Occasione vxoris Leuitæ crudeliter vexatæ luxuria, occisa est maxima multitudo. *Iud.* 20. Dauid vt liberius cum Betsabea vacaret libidini, fidelem militem occidi fecit. 2. *Reg.* 11. Amon propter luxuriam quam exercuit in Thamar, ab Absalone in conuiuio est occisus. 2. *Reg.* 13. Adonias, quia vxorem patris petijt in vxorem, fuit Salomonis sententia occisus. 3. *Reg.* 2. Homicidia multa exercent proditores, & proditorie. Sicut Ioab missis nuncijs, vt Abner rediret pacifice ad Dauid, cum loqueretur ei, percussit in inguine, & occidit eum, 2. *Reg.* 3. Item Ioab continens mentum Amasæ salutans eum, & quasi desiderans eum osculari percussit eum latenter & proditorie occidit. 2. *Regum* 20. Occidit Triphon Ionathan & duos filios eius, cum recepisset pro liberatione eius duos filios obsides, & triginta talenta argentea à Simone fratre suo, 1. *Machab. cap.* 42. Ptolemæus fecit conuiuium Simoni Sacerdoti & duobus filijs eius, quasi volens eos honorare: in quo conuiuio eos proditorie interfecit, vt habetur 1. *Machab. cap. vltimo.* Homicidium si aliquando iuste, cum occiduntur homines ex iustitia, eorum exigentibus culpis. Nam quia Zebee & Salmana occiderunt fratrem Gedeonis, iuste & rationabiliter sunt ab eo occisi. Quia omnis qui acceperit gladium gladio peribit, *Iudic. cap.* 8. *Matth.* 26. Iuste fecit Dauid occidi adolescentem,

quia

qui Saul Dominum ſuum ſe dixerat occidiſſe. 2. *Reg.* 1. Quia Ioab occiderat duos viros proditorie, ſc. Abner & Amaſam, ipſum iuſtiſſimus Salomon mandauit occidi. *3. Reg.* 2. Duo ſenes peſſimi qui Suſannam condemnauerunt ad mortem, iuſſi fuerunt à populo lapidari. *Dan.* 13. Ananias & Saphira Domino mentientes, Dei & Petri ſententia ſunt occiſi. *Act.* 5. Homicidium valde Deo diſplicet, qui inter omnia vitia ipſum legitur grauiter puniuiſſe. Nam homicidium Cain puniuit acerbè, & tamen adhuc non erat prohibitum lege ſcripturę. *Geneſ.* 4. Vnde vt oſtenderet Dominus quod ipſe homicidium abhorreret, & homo etiam abhorrere deberet, ſub figurę velamine carnem cum ſanguine prohibuit comedi. *Leuit.* 9. Homicidia in anima fiunt & corpore. Ideo dicebat Rebecca, timens ne Eſau occideret Iacob: *Cur orbabor vtroq; filio vno die?* vno ſcil. anima, alio in corpore. *Geneſ* 27. Tantum offenditur Deus innoxium ſanguinem effundendo, quod voluit ne vt Dauid, qui ſanguinem innoxiũ effuderat, ſed Salomon templum ei ædificaret, quod & Salomon fecit *3. Reg.* 7. Quia Ioas fecit Zachariam iniuſte occidi, grauiter fuit punitus à Domino, quia diuina permiſſione eſt occiſus, nec in ſepulchro regio eſt ſepultus. 2. *Paralip.* 24. Vnde dicit quidam ſanctiſſimus Doctor, hortans & admonens quemlibet homicidam vt pœniteat: O homicida quid feciſti? ſi totum orbem terræ combuſſiſſes, cœlum deſtruxiſſes, paradiſum ſpoliaſſes; Deum non in tantum

tur-

turbasses, quam quod fudisti sanguinem pro quo Dominus noster IESVS CHRISTVS suum sanguinem roseum effudit. Interemisti enim hominem quem Deus viuificauit. Couertere & age pœnitentiam; & erit tibi gratia à Deo.

CAPVT LVIII.

De Honore parentum.

Honorare debemus parentes,
Eis loquendo cum reuerentia,
Eis parcendo cum obedientia,
Curam gerendo in indigentia,
Non efficiendo tristes tadentia,
Fructum quærendo ex complacentia,
Pœnam timendo de negligentia.

HOnorare debet homo parentes, eis exhibendo reuerentiam, scilicet reuerenter loquendo & reuerenter assurgendo. Sic Salomon honorauit Bersabee matrem suam: quia ipse surrexit de solio suo in occursum matris, & posuit eam super sedem suam. 3. *Reg.* 2. Tobias iustus inter alia quæ dedit filio documẽta, & hoc fuit: *Honorem habe matri tuæ. Tob.* 4. Expellens Iesus de templo vendentes & ementes dixit: *Scriptum est, Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Luc.* 19. *& Matth.* 21. Et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis: vos autem fecistis, &c. Volens Christus

dere quod patrem in miraculis & in omnibus honorabat, dixit eis qui eum accuſabant quod haberet dæmoniũ: *Ego honorifico Patrem meum. Ioan.*8. Omnia opera quæ faciebat Ieſus attribuebat Patri; oſtendens quomodo Pater debebat honorari. *Ioan.*8. Honorare debet homo patrem & matrem in præceptis, inſuper & in omnibus obſequendo: quia non obedientes, malam incurrent ſententiam; ideo filii Heli, quia non obedierunt patri vt deſiſterent à malis, diuinam ſententiam grauiſſime incurrerunt. *1. Reg.*2. Ionathas, quia nõ obediuit præcepto patris, ſcilicet contra eius mãdatum modicum mellis comedit, mortis ſententiam incurrit. 1. *Regum* 14. Puer Jeſus aſcendens in Nazareth cum parentibus, erat ſubditus illis. *Luc.* 2. Obedire debent filij parentibus, ſcita eorum voluntate, etiam dato quod verbis non exprimũt; ideo Jeſus ſciens matri diſplicere, quod vinum in nuptijs non haberetur, aquam in vinum mutauit. Nam tantum dixit mater: *vinum non habent. Ioan.* 2. Honorare debemus parentes de ipſis in vita & in morte habendo curam, & in neceſſitatibus eis ſubueniendo. Jdeo Dauid in magna neceſſitate exiſtens, curam de parentibus habuit, & ipſos regi Moab diligentius commendauit. 1 *Reg.*22. Tobias ſenior dixit filio ſuo: *Cum accepit Deus animam meam, corpus meum ſepeli cum honoribus: matrem tuam honorabis omnibus diebus vitæ tuæ.* Omnibus filijs in exemplum. *Tob* 4. Pendens Chriſtus in cruce, matrem ſuam dilecto diſcipulo commen-

mẽdauit. Ex quo patet quantam ſolicitudinem de ipſa gerebat qui de ea in tali articulo cogitabat, vt habetur *Ioan.*19. Nota hic exemplum quod dicit ſanctus Auguſtinus de quadam filia, quæ nutriuit matrem in carcere, præbens ei ſingulis diebus vbera ſua. Propter quam charitatem rex matrem vinculatam liberauit. Honorare debemus parentes in nullo eos cõtriſtando, nec eos in quantum poſſumus contriſtari ſinendo. Nam licet Eſau eſſet malus & fratrem ſuum vellet occidere, non tamen volebat hoc perpetrare viuente matre vel patre, ne contriſtaret eum, ſcilicet patrem, ſed dicebat: *Veniet dies luctus Patris mei, & interficiam eum. Geneſ.*27. Timens Iudas contriſtationem patris, ad magnam pœnam ſe obtulit, cum dixit de Beniamin: Si non reduxero eum tibi, reus ero in te in omni tempore. *Geneſ.cap.*43. Videns Iacob quod Iudas non patiebatur eum triſtari, acquieuit verbis eius, qui non acquieuerat verbis Ruben dicentis; duos filios meos occide, ſi non reducam eum tibi, vt habetur *Geneſ. cap.* 43. Iuda cum ſupplicaret Ioſeph, vt remitteret Beniamin, ait: Non poſſum redire ad patrem meum abſente puero; ne calamitatis Patris mei exiſtam teſtis. *Geneſ.cap.*44. Honorare debemus parentes, propter fructum conſequendum. Nam alicui alij præcepto DEVS non adiunxit præmium ſeruantibus, & pœnam non ſeruantibus, niſi ſolum præcepto de honore parentum. Vnde ait: *Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper ter-*

ram. Et ſequitur: *Qui maledixerit patri vel matri, ſit ille maledictus & morte moriatur. Exod. cap.* 20 & 21. Quia Sem & Iaphet patrem denudatum honorauerunt, ideo eius benedictionem acceperunt. *Geneſ.* 9. Benedictio autem patris magnæ reputationis erat, quando Eſau & Iacob pro ea taliter contendebant. *Geneſ.* 27. Quia Cham patrem non honorauit, ſed deriſit, eius maledictionem incurrit. *Geneſ.* 9. Ad Ruben dicit Iacob: Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui *Geneſ.* 49. Honorare debemus parentes, vt durum diuinum iudicium fugiamus, & eius vltionem, quam in præſenti parentes non honorantibus præparauit. Præcepit enim Dominus per Moyſen: Si genuerit quiſpiam filium contumacem proteruum, &c. lapidibus obruet eum populus. *Deut.* 21. Abſalon peſſime perſecutus eſt patrem ſuum: ideo fuit morte peſſima interemptus. 2. *Regum* 18. Duo filij Senacherib occiderunt eum, ſed neuter eorum regnauit. 4. *Regum* 9.

Capvt LIX.

De Humilitate.

Humiliare nos debemus,
In petitione diuinorum,
Famulatione dominorum,
Gubernatione ſubditorum,
In reſponſione iurgiorum,

In

In religione clericorum,
Exultatione præmiorum,
Reputatione minorum,
Cum despectione laudatorum,
Per remißionem peccatorum,
Christi sanctione exemplorum.

HVmiliare debemus nos Deo in oratione, loquendo humiliter & seruiendo. Sic Abraham Deo humiliter loquebatur, dicens: *Loquar ad Dominum Deum meum, quoniam cinis & puluis sum ego. Genes.*18. Gedeon humiliter locutus est angelo à Deo misso, dicens: *Familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Iudicum* 5. Dauid coram Deo humiliter se habuit, quãdo ante eius arcam ludendo saltauit, 2. *Regum* 6. Quando Nathan venit ad Dauid ex parte Dei, Dauid se humiliter habuit ad eum. 2. *Reg.*12. Disciplinante Domino populum, Dauid humiliter se excusauit, dicens: *Ego sum qui peccaui. Regum* 24. Magna humilitas fuit in Magis, qui procidentes adorauerunt puerum in præsepio. *Matth.*2. Centurio humiliando se Deo dicit: *Domine non sum dignus, &c.* Fecit se dignum recipere gratiam pro ægrotante seruo quã à Christo postulabat. *Matth.* 8. Mater filiorum Zebedæi, precatura pro filijs, accessit humiliter & adorauit. *Matth.*20. Humiliari debet homo coram dominis temporalibus, & eis seruire & respondere; ideo dixit angelus ad Agar: *Reuertere ad domum tuam, & humiliare*

 domi-

domina tua. Gen. 16. Multum humiliauit se Dauid contra Saul dominum suum, cũ debebat esse eius gener, dicens: *Quid ego sum, & quæ est domus mea, vt fiam gener regis,* &c. *1. Reg.* 18. Similiter cum Saul persequebatur eum, multum se humiliauit, dicẽs: *Cur persequeris pulicem viuum.* 1. *Reg.* 26. Mibhiboseth inique accusatus regi à seruo, iniuste exhęredatus à Domino, hnmiliter loquebatur. 2. *Regum* 16. & 19. Humiles debent esse prælati, non ambitiose prælationibus inhærendo vel se ingerendo, sed humiliter excusando, ac cum subditis humiliter conuersando; ideo humiliter se quinquies Moyses excusauit antequam vellet ducatum populi accipere: ad vltimum, volente Domino, accepit. *Exod.* 4. Non debent prælati totum sibi velle superbe, sed alijs humiliter partem dare; ideo Moyses licet ducatum à Domino haberet, tamen rogauit Hobab vt secum iret, & populi ductor esset. *Numer.* 10. Non debent negotia de suo capite facere, sed humiliter requirere consilium subditorum. Nam licet Moyses sic familiariter loqueretur cum Domino, tamen consilium Iethro consulentis sibi fideliter, non despexit. *Exod.* 18. Quãtum debeant homines prælationem respuere, patet in Gedeone; qui licet electus, noluit tamen populo dominari. *Iudic.* 8. Non debent velle Prælati salutationes hominum inferiorum & genuflexiones ante se sustinere, & adorari vt Deus. Nam cum Petrus adoraretur à Cornelio, ait: *Surge, quia ego homo sum.* Similiter fecit Paulus & Barnabas.

Act.

*Actor.cap.*10.& 14. Humiliter debent homines cuilibet respondere. Quia, iuxta Sapientis sententiam, *Mollis responsio frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Nam quia Iacob loquens cum Esau humiliter respondebat, ideo compescuit iram eius. *Genes.*33. Vnde humiliter respondit *D*auid ad Saul quando debuit fieri gener ipsius. 1.*Regum* 18. Si Roboam humiliter respondisset, nequaquam decem partes populi perdidisset. 3.*Regum* 12. Princeps quinquagenarius tertius non est consumptus ab igne, quia humiliter loquebatur. 4.*Regum* 1. Quia mulier Chananæa respondit humiliter verbis Christi quæ aspera videbantur, asserens se catellum, de micis mensæ Domini capientem, sanitatem integram filiæ procurauit. *Matth.cap.*15. Quærente Domino à Petro, vtrum plus alijs diligeret? respondit humiliter, dicens: *Domine, tu scis quia amo te.* Non dixit, plus alijs, sed humiliter: amo te. *Ioan.*20. Humiles debent esse Religiosi præ cæteris gentibus, exemplo aliorum Religiosorum & Eremitarum noui & veteris Testamenti, scilicet Heliæ & Ioannis Baptistæ; ideo debent Religiosi de se humiliter sentire & se viles & humiles reputare. Sic Ioannes dicebat: *Non sum dignus soluere corrigiam,* &c. *Ioan.*1. Item debent de se humiliter loqui. Sic Ioannes dicebat: *Ego vox clamantis in deserto,* vt habetur *Ioann. cap.* 1. Debent non pompatice, sed humiliter indui; quia qui mollibus induuntur in domibus regum sunt. In cuius figura sanctus Ioannes

erat indutus de pilis camelorum *Matth*.3. Vnde Augustinus in Regula dicit: *Non sit notabilis habitus vester*. Super quo verbo dicit Hugo de S. Victore: *Non enim tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit Clericum*. Vnde Gregorius: *Si cultus vestium subtilium peccatum non esset, nequaquam sermo diuinus tam vigilanter expressisset*, dicens: *quod diues ille qui purpura fuit indutus apud inferos torqueretur*. vt habetur *Luc*.16. De Helia similiter, qui erat accinctus zona pellicea circa lumbos eius. 4.*Regum* 1. Item debent humiliter & non laute pasci, vt murmurent in deserto cum filijs Israel dicẽtibus: *Vtinam mortui essemus in terra Ægypti quando sedebamus super ollas carnium*. Sed ipsi sint contenti victu tenui, cum Joanne, cuius cibi erāt locustæ & mel syluestre. *Matth*.3. Heliæ etiam in cuius figura angelus solum panem subcinericium ministrauit. 3. *Reg*.9. Debent etiam victum humiliter quærere, nec ex superbia verecundari mendicare; cum talis seruus Dei à vidua Sareptana buccellam panis humiliter postulauit. 3. *Reg*.17. Item debent humiliter habitare, non in altis domibus & excelsis palatijs, sed in locis solitarijs & desertis; ideo habitauit Ioannes in deserto. *Luc*.3. Humiliantes se Domino humiliter, exaltātur, iuxta Saluatoris sententiam: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. In cuius figura Saul qui quærebat asinas, fuit à Domino super regnum Israel exaltatus. 1.*Reg*.9. Veniens Heliseus ad Iordanem, primo percussit aquas nihil dicens, & non est diuisa,
quia

quia superbe agebat. Secundo nomen Heliæ inuocauit humiliter,& sic exaltatus est; quia spiritũ Heliæ duplicem habuit,propheta fuit,& mira facere inchoauit,vt habetur 4 *Reg.*2. Dispersi sunt filij Israel per Holofernem & humiliauerunt se, & fuerunt per victoriam exaltati in tantum quod per triginta dies vix collecta sunt spolia Assyriorũ à populo Israel. *Iudith.*15. Petro dicente humiliter Christo: *Exi à me quia peccator sum ego*, ex hoc officium Apostolatus ipsi Dominus benigne commisit, vt habetur *Luc.cap.*5. Optimam regulam humilitatis & exaltationis suæ ostendit Saluator, dicens: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouißimo. Lucæ cap* 14. Humiliari debet homo quantumcunque magnus, iuxta sententiam Salomonis, qui ait: *Quanto maior es humilia te in omnibus.* Ideo Hester magna humilitate abominabatur figuram & signa superbiæ. *ibid.*4. Dauid licet magnus & in regem vnctus, tamen victualia fratribus humiliter deferebat. 1. *Regum* 17. Propheta magnus Hieremias, ex vtero vocatus Propheta, dicebat: *Nescio loqui. Hierem.* 1. Ioseph vir iustus & castus, reputans se indignum coniugio virginis, voluit eam occulte dimittere. *Matth.* 1. Ioãnes cum per sanctitatem crederetur Christus, dicebat: *Non sum dignus soluere corrigiam, &c. Ioan.* 1. Humiles debent esse homines quando aliqua bona faciunt, vt non velint inde ventum vanæ gloriæ, vel ab hominibus collaudari. Nam Christus publica sua miracula prohibebat dici, vt etiam

iam patet in leproſo mundato. *Matth.8.* Et de duobus cœcis liberatis, *Matth.9.* Et de ſurdo & muto ſanato. *Marc 7.* Et ſimiliter de transfiguratione. *Matth.17.* Ad fugiendam iactantiam & vanam gloriam de bonis quæ nos agimus, & ad habendam humilitatem, multum valet exemplum de ſuperbo Phariſæo, & de humili publicano. *Luc.* 18. Petrus loquens humiliter de claudo ſanato, ſibi quicquam attribuere noluit. *Act.3.* Humilitas bonis meretur indulgentiam peccatorum; nõ ſolum autem bonis, ſed etiam malis. Exemplum. Nam Achab nequiſſimus, imponens ſibi pœnam debitam pro peccatis, humiliatus eſt, & Deus ei pœnam temperauit. 3. *Reg.21.* Roboam & Principes eius humiliati ſunt, & Dominus mutauit ſententiam per Prophetam ſuum. 1. *Paral.12.* Ezechias humiliatus eſt; idcirco non venit ira Dei in diebus eius. 2. *Paral.19.* Nabuchodonoſor humiliatus, recognouit ſtatum ſuum, & reductus eſt ad ſtatum priſtinum. *Dan.4.* Quia viri Niniuitæ humiliati ſunt, non eſt eorum ciuitas ſubuerſa. *Ion.3.* Magdalena, quia ad pedes Chriſti humiliter acceſſit, peccatorum veniam humiliter impetrauit. *Luc.7.* Humilitatis exemplum de Chriſto debemus ſuſcipere in triplici ſuo ſtatu, ſcil. Natiuitatis, Vitæ, & Mortis. In natiuitate fuit humilis; quia concipi voluit in ciuitate parua, ſcil. Nazareth; vnde dixit Nathanael. A Nazareth poterit aliquid boni eſſe. *Ioan.1.* Item quia de humili matre *Luc.1.* Reſpexit humilitatem in humili loco collocando ſe, ſc. in præ-

ſepio

ſepio. *Luc.* 2. De humilitate autẽ Chriſti quomodo humiliter vixit, humiliter docuit, nũc omitto: quia de hoc plena ſunt omnia Euangelia. De morte autem Chriſti notandum eſt, quod fuit humillima. Caruit enim ijs quę ſuperbi quærunt, ſcilicet terrena affluentia, mundana ſapientia, populari fama, inimicorũ victoria, numeroſitate amicorum. Econtra fuit Chriſtus veſtibus ſpoliatus, in carne vulneratus, inſipiens reputatus, corporaliter victus, à diſcipulis derelictus, ab his qui amici eſſe debuerunt acriter afflictus, & crucifixus. Hæc omnia patent. *Matth.* 27. *Luc.* 23. & *Ioan.* 19. Quomodo Deus omnipotens ſuam Deitatem abſcondit ſub humanitate, patet ex hoc, prout pulchre Ephræm deducit in quodã ſermone *de Chriſti transfiguratione*, vbi Chriſtum Deum & hominem dicit, &c. *Si non erat Deus, Gabriel quem Deum vocauit? Si non erat homo, Maria quem in ventre geſtabat? Si non erat Deus Elizabeth quem ſalutabat? Si non erat homo, in præſepe quis iacebat? ſi non erat Deus, angeli quem glorificabant? ſi non erat homo, Maria quem lactabat? ſi non erat Deus Magi quem adorabant? ſi non erat homo, Ioſeph quem circumcidebat? ſi non erat Deus, columba quem teſtabatur? ſi non erat homo, Ioannes quem baptizabat? ſi non erat Deus, quis relaxabat peccatam? ſi non erat homo, in deſerto quis eſuriebat? ſi non erat Deus, mare & venti cui obediebant? ſi non erat homo, in naui quis dormiebat? ſi non erat Deus, mortuos quis ſuſcitabat? ſi nõ erat homo, cibos quis ſumebat? ſi non erat Deus, latroni regnum*

quis

quis dabat? si non erat homo, in cruce quis pendebat? si non erat Deus, Sol lucem propter quem tenebat? si non erat homo, in sepulchro quis iacebat? si non erat Deus, die tertia quis resurgebat? si non erat homo, Thomas quem palpabat? si non erat Deus, in cœlum quomodo ascendebat? Pater ergo quod Christus fuit Deus & homo, ex substãtia Patris ante sæcula natus, omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri in substantia, ex ipso & cum ipso sempiternus. Nam in se suscepit humanam naturam creator ac Dominus omnium creaturarum, & suam Gloriosissimam Deitatem velauit ac humanauit, sua humilitate, nobis in exemplum vt ita faciamus, & cum eo æternaliter gaudere valeamus.

Caput LX.

De Iactantia & Gloriatione.

Iactatores consueuerunt alios despicere detrahendo:
Pompis se perficere extollendo,
Sic Deum abiicere obloquendo,
In factis deficere abdicendo.

Iactatores aliorum facta & personas despiciũt & seipsos extollunt. sic Gaal dicebat: *Quis est Abimelech, & quæ est Sichem vt seruiamus ei? vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea.* quasi diceret: Ego magna facerem. *Iudicum 9.* Grandia verba dixit Rapsaces ex parte regis Assyriorum

rum, despiciens regem Iuda, & regem Ægypti,& extollens Dominum suum & seipsum. 3. *Regum* 18. Contra iactantes se & cæteros despicientes ponit Christus parabolam de publicano humili & de Pharisæo superbo, exaltante se,& deprimẽte alios,dicens: *Domine, non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri*: Peior tamen erat omni homine: *Luc.*18. Despiciebant Pharisæi cœcum illuminatum, dicentes: *In peccatis natus es, & doces nos. Ioan* 9. Arroganter ait Pilatus Christo: *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te & dimittere te. Ioan* 19. Iactatores pompatice & ex superbia magna loquuntur, sed homo sapiens de quibus iactare posset, tacet. Sic Samson inermis interfecit leonem, volens ostendere suam probitatem. *Iudicum* 14. Stultum est se iactare de futuris contingentibus. Nam Adonias eleuabatur, dicens: *Ego regnabo*: & postea non regnauit. 3. *Regum* 1. Vnde Philosophus: *de futuris contingentibus non est determinata veritas*, Benadab rex Syriæ pompose locutus est regi Israel per nuncios suos; cui bene responsum est, vt dicitur 3. *Regum* 20. Amon superbus pompose iactauit se quod solus cum regina pranderet; qui fuit postea suspendio condemnatus, vt dicitur *Hester* 5. & 7. Nabuchodonosor in aula deambulans, dicebat cum superbia: *Nonne est hæc ciuitas quam ædificaui mihi*? & cætera verba iactatoria. *Daniel*. 4. Quantumcunque humilientur superbi se iactare non desinunt Sicut Antiochus turpiter fatigatus superbe se iactabat, 2. *Machab*.

chab.5. Iactatores non ſolum ſupra homines ſe extollunt; ſed etiam ſupra Deum. Ideo dicitur de Lucifero angelo, qui dicebat in corde ſuo: *In cœlum aſcendam, ſupra aſtra exaltabo ſolium meum*, qui poſtea confuſe & turpiter cecidit. *Eſa.14.* Nabuchodonoſor dicit ſociis Danielis: *Quis eſt Deus qui eripiat vos de manu mea.* Daniel.3. Dicentibus Iudæis: *Eſt Deus potens in cœlo qui iuſſit celebrare diem ſeptimum.* Reſpondit Nicanor: *Et ego potens in terra qui impero ſumi arma.* 2. *Machab.* 5. Qui ſe ſic iactant, ſemper mentiuntur, & imitantur diabolum, qui ſe iactabat plura poſſidere quam Deus, dicens Chriſto: *Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraueris me. Matth.4.* Secundum vero Lucam, ſe iactauit, dicens: *Hæc mihi tradita ſunt, & cui volo, dabo illa. Luc.4.* Jactatores multa dicunt & pauca faciunt, imò vtplurimum confunduntur & deficiunt. Iuxta illud poeticum: *Sæpe minus faciunt homines qui magna minantur.* Sic Goliath ſe iactans, inuitabat alios ad ſingulare certamen, qui fuit à puero ſuperatus. 1. *Regum* 17. Holofernes iactabat ſe coram Achior quod ipſum occiſurus & filios Iſrael ſuperaturus eſſet: qui poſtea fuit à fœmina interfectus. *Iudith 6 & 13.* Dixit Seron: *Faciam mihi nomen, & delebo Judam:* & ipſe fuit poſtea debellatus. 1. *Machab.3.* Demetrius ſuperba verba miſit ad Ionathan, ſed cito male ipſi ſucceſſit, 1. *Machab.10.* Nicanor iactauit ſe daturum pro vno talento nonaginta mancipia Iudæorum, ſed ipſe ſuccubuit. 2. *Machab.8.* Petrus iactanter ſe obtulit

cum

cum Christo mori, qui cum ad vocem fœminæ ter negauit. *Matth.26.*

CAPVT LXI.

De Idololatria & idolorum cultura.

Idololatrare facit homines,
Timiditas vel absentia Prælatorum,
Calliditas & adhærentia lasciuorum,
Malignitas & complacentia sociorum,
Tumiditas & excellentia superborum:
Iniquitas & conscientia reproborum.

IDololatrare facit homines aliquando absentia Prælatorum. Tales fuerunt filij Israel; quia dum Moyses esset in monte, interim dixerũt ad Aaron: *Fac nobis deos qui præcedant nos* Qui pusillanimus, timens populi insultum, fecit eis vitulum conflatilem, quem ipsi adorare cœperunt. *Exod.32.* Mortuo Iosue, filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, & deseruerunt Dominum Deum patrum suorum, & idolis seruierunt. *Iudic.2.* Idololatrare facit homines luxuria & inordinata concupiscentia mulierum. Nam fornicatus est populus Israel cum filiabus Moab, quæ vocauerũt illos ad sacrificia sua: & illi comederunt & adorauerũt idola sua. *Num.25.* Idololatrare facit homines mala societas vel malũ exẽplũ; quod videtur in aliis qui male egerũt.

Non

Non enim suffecit Achab regi Israel, vt ambularet in peccatis Ieroboam, sed insuper seruiuit Baal,& adorauit eum. 3. *Regum* 16. Achas rex Iuda ambulauit in vijs regum Israel, insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem, vt habetur 3. *Regum* 16. Translatis filijs Israel in Syrios, collocatæ sunt diuersæ gentes, in ciuitatibus Samariæ: & vnaquæque fecit Deum suum iuxta consuetudinem gentium, 4. *Regum* 17. Idololatrare facit homines superbia eorum qui se reputant æquales vel maiores Deo. Sic Holofernes iratus contra Achior qui commendabat potentiam Dei Hebræorum, dixit, se esse ostensurum quod non esset Deus, nisi Nabuchodonosor. *Iudith*. 6. Darius rex Persarum præcepit, vt nullus peteret aliquid ab aliquo deo intra triginta dies, nisi ab ipso, tanquam se, sicut Deum ostenderet potentem. *Dan*. 6. Nabuchodonosor fecit statuam auream, & præcepit superbe vt omnes gentes adorarent ipsam *Dan* 3. Idololatrare facit homines malitia propria & peruersitas animi. Sicut Ieroboam excogitato consilio fecit duos vitulos aureos adorari pro Deo, vt habetur 3. *Regum* 12. Ædificauerunt viri Iuda Aras & statuas super colles & subter arbores 4. *Regum* 17. Confusus Senacherib reuersus est Niniuen; & cum adoraret in templo Dei sui, duo filij eius occiderunt eum. 4. *Regum* 19. Manasses rex Iuda fecit aras Baalim, & adorauerunt omnem malitiam cœli. 2. *Paral*. 32. Babylonij prius adorantes idolum, post eius subuersionem

nem adorauerunt Draconem. *Dan. 14.* Antiochus iussit ædificari aras & idola, & immolari carnes suillas, vt patet 1. *Machab.* 1. Manente Paulo Athenis, incitabatur videns idololatrare totam ciuitatem; in quo monetur quilibet dolere de iniuria Dei. *Actor.* 17.

CAPVT LXII.

De Impatientia & murmure.

Impatientes sunt & murmurantes, subiacentes correctionibus dominorum:
Seruientes crapulationibus gulosorum,
Inuidentes consolationibus aliorum,
Irascentes, in implexionibus aduersorum,
Nescientes in instructionibus peritorum:
Excellentes in inuentionibus sublimiorum.

IMpatientes sunt serui & subditi ad correptiones & verba dominorum & prælatorum aliquando. Sic Agar non ferens correptionem dominæ suæ quæ affligebatur propter superbiam eius, recessit impatiens, sed est ad angeli monitionem conuersa. *Genes.* 16. Præpositi filiorum Israel dixerunt Moysi prælato eorum: *Iudicet Dominus inter te & nos. Exod.* 5. Filij Israel impatientes dixerunt ironice Moysi; *Nunquid non erant sepulchra in Ægypto?* vt habetur *Exod.* 14. Videns populus quod moraretur cum Domino, vt instrueret eos, impatienter dixerunt ad Aaron; *Fac nobis deos qui*

præcedat nos. Exod.32. Ancilla Saræ impatienter ferens increpationem, contumeliose respondit. *Tobiæ 3.* Impatientes & murmurantes sunt homines gulosi, non volentes pati aliquem defectum escæ & potus. Nam impatiens populus Israel murmurauit propter defectum potus. *Exod.17.* Murmurauerunt postea tanquam impatientes propter cibum & grauiter puniti sunt. *Exod.16.* Gulosi multa habentes, murmurare non desinunt. Sic filij Israel habentes Manna & coturnices à Domino, adhuc murmurabant, propter ariditatem sitis. *Exod.17.* Recordabantur filij Israel carnium de Ægypto, sed de miseria & seruitute in qua fuerant non fecerunt aliquam mentionem, de qua à Deo fuerunt liberati. *Exod.16.* Propter defectum potus & fructuum murmurauerunt ad aquas contradictionis. *Numer.20.* Impatientes & murmurantes sunt homines inuidi de aliena felicitate: quod Domino multum displicet. Ideo propter murmurationem contra Aaron & Dominum ex inuidia factam egressus est ignis à Domino, & deuorauit extrema castrorum. *Numer.16.* Discumbēte Domino in domo Matthæi, Pharisæi inuidi murmurare cœperunt quod cū peccatoribus mā-ducaret. *Matth.9. Luc.5.* Similiter cum discūberet cum Zachæo *Luc.19.* Operarij murmurabant aduersus patremfamilias, quia largus fuerat non tantum laborantibus tota die, sed & venientibus hora vndecima. *Matth.20.* Principes sacerdotum audientes pueros cantantes Osanna, indignati sunt,

Luc.

*Luc.*19.*Matth.*21. Frater filij prodigi inuidẽs festo fratris,indignatus nolebat intrarẽ.*Luc.*15. Impatientes sunt homines iracundi, qui nesciunt aliquid patienter pati. Aliquando impatientes sunt in damnum suum.Sic Achitophel videns consiliũ suum dissipatum, ira & indignatione commotus laqueo se suspẽdit.2.*Reg* 17. Quia dure locuti sunt filij Iuda tribus decẽ iratæ & separatæ sunt ab eis. 2.*Paral.*10. & 3.*Reg.* 12. Græci quia videbant viduas suas in quotidiano ministerio despici, irati aduersus Hebræos murmurare cœperunt, vt habetur *Actor.*6. Impatientes sunt aliquando multi, quando instruuntur, & veritas eis manifestatur: quia habentes oculos obtenebratos illuminari recusant. Sic vxor Tobiæ, cum eam Tobias instrueret,impatienter respondit.*Tob.*2. Disputantes maxime quando superantur ab ostendente veritatem, turbantur & impatientes sunt. Sic Eliphas conuictus à Job, multa signa impatientiæ monstrauit.*Iob.*22. Quia Eleazarus instruebat eos in veritate, qui eum duxerunt, in iram conuersi sunt. 2.*Machab.*6. Pharisæi audientes cœcum illuminatum disputantem & conuincentem eos, maledixerunt ei. *Joan* 9. Audientes Iudæi verba Stephani, dissecabantur cordibus suis. *Actor.*7. Impatientes sunt homines superbi;qui audire nequeunt verba quæ eorum extollentiæ opponuntur. Nam cum cessasset loqui Achior, Holofernes impatienter tulit. *Iudith.cap.*5. Sic fuit impatiens superbus Amon, vt quia Mardochæus non

adorabat eum, paruum reputans omnem aliam gloriam, mortem eius & aliorum Iudæorum procurauerit nequiter, *Hester* 3. Nabuchodonosor audiens quod tres pueri eius statuam noluerunt adorare, quam superbe erexerat, in ira & in furore præcepit eos mitti in fornacem ardentem. *Daniel*.3. Herodes rex iratus, audiens quod Christus Rex natus esset, propter superbiam dominandi, pueros in furore mandauit occidi, vt habetur *Matth* 3.

CAPVT LXIII.

De Ingratitudine beneficiorum.

Ingratus est homo de beneficiis largienti sponte,
Puris seruitiis, relucenti fronte,
De præcipitiis eruenti prompte,
In amicitiis non viuente fonte.

INgrati sunt homines Deo, ipsius beneficia obliuioni tradentes, nec de ipsis gratias referentes. Sic filij Israel educti à Domino de seruitute Ægypti fecerunt vitulum aureum, adorantes eundem, vt habetur *Exod*.32. Cito obliti sunt beneficiorum Dei filij qui fastidiebant Manna & murmurabant. *Numer*.21. Reprehendit angelus Iudæos ingratos, diuina beneficia recolendo *Iudic*. 2. Sublimauit Deus Ieroboam super decem tribus & ille auertit populum à cultu Dei. 3. *Regum* 12. Ingrati sunt aliquando homines seruientibus eis fide-

fideliter in quocunque ſeruitio, ſiue ore inſtruendo, ſiue operibus ſeruiendo. Sic ingratus fuit prępoſitus pincernarum aduerſus Joſeph, qui ſuccedentibus proſperis ſui interpretis eſt oblitus. *Geneſ.*40. Laban multotiens voluit fallere Iacob ſibi fideliter ſeruientem. *Geneſ.*29. Multa ſeruitia receperat à Dauid Saul, & tamen eum occidere ſæpius nitebatur. 1. *Regum* 18. Valde ingratus fuit Dauid Vriæ, cui tradidit litteras mortis. 2. *Reg.* 11. Ingratus eſt aliquando homo liberanti eum de magno periculo, tales liberati nituntur aliquando deſtruere liberantes. Nam ſaluauit & liberauit Dauid habitatores Ceylæ; & tamen in manu Saul eum quærentis occidere tradere voluerunt. 1. *Regum* 23. Poſtquam Dauid condonauit Abſaloni fratricidium, & liberauit eum de exilio, ipſe eum grauiter perſecutus eſt. 2. *Regum* 15. Miſit Ionathas viros, qui liberauerunt Demetrium; qui poſtea alienatus, vexauit eum, *vt habetur* 1. *Machab.* 11. Dominus vineæ pepercit perſequentibus ſeruos, qui poſtea eius filium occiderunt. *Luc.* 20. *Matth.* 21. Ex decem leproſis liberatis à lepra, nouē fuerunt ingrati. *Luc.* 17. Quæſtores ingrati de liberatione puellæ à dæmone, ſunt poſtea Paulum perſecuti. *Actor.* 16. Ingratus eſt homo aliquando amicis honorantibus eum, & puro corde diligentibus, eis vel eorum hæredibus retribuendo contrarium. Sic filij Amon pro honore accepto à ſeruis Dauid ad eos perſonaliter deſtinatis, ignominioſum vituperium reddiderunt. 2. *Reg.* 10. Valde

ingratus fuit Dauid amicitiæ Ionathæ, quando filios hæreditate priuauit. 2. *Regum* 16. Non est recordatus Joas rex misericordiæ & amicitiæ quam fecerat ei Ioiada Sacerdos, quando Zachariam eius filium interfecit. 2. *Paralip.* 24. Heliseus multum honorauerat populum Israel & regem, & tamen iussit eum rex decapitari. 4. *Reg.* 6.

Capvt LXIV.

De Inimicitia & odio.

Inimicitia & odium,
Iniquitate acquiritur præpendente,
Cupiditate inquiritur propendente,
Malignitate perquiritur inuidente,
Carnalitate exquiritur inuadente,
Auctoritate concipitur arguente,
Cum pietate dimittitur paciscente.

INimicitias permittit Deus fieri, & hoc propter peccatum. Peccatum enim causa est inimicitiarum. Vnde Aurelius Augustus dicit: *Peccatum est deformitas, quam Deus detestatur*; iniquitas quam dæmon amplexatur; infirmitas qua totus mundus dissipatur. In cuius signum statim post peccatum primorum parentum posuit Deus inimicitias inter serpentem & mulierem & inter vtriusque semen, vt dicitur *Genes.* 3. Tres inimicos suscitauit Dominus Salomoni post peccatum, scilicet Razon filiũ Cliada, & Adad, & Ieroboam. 3. *Reg.* 11.

Cum

Cum filii Israel peccarent & facerent malum coram Domino, insurrexerũt inimici eorum. *Judith.* 5.*& seqq.* Judæis peccantibus Holofernes obsedit eós, sed pœnitentes liberati sunt. *Iudith. per tot.* Occasione peccati diabolus dicitur inimicus noster: ipse enim est inimicus, qui dormientibus hominibus superseminauit zizaniam. *Matth.* 13. Inimicitiæ multæ ex cupiditate rerum temporaliũ oriuntur. Nã inter pastores Abrahæ & Loth factæ sunt inimicitiæ propter substantiã. *Gen.* 13. Rixati sunt pastores Gerara cum pastoribus Isaac, eo locupletato. Ideo appellauit nomen loci illius, *Puteus ad inimicitias. Gen.* 26. Oderat Esau Iacob propter hęreditatem, & dicebat: *Veniet dies luctus patris mei, & interficiam eum. Genes.* 27. Inimicitia & odium oritur aliquando, ex inuidia. Nam inuidentes fratres Ioseph quod à patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. *Gen.* 37. Ægyptij oderãt filios Israel, quia creuerant & multiplicati sunt, & affligebant eos. *Exod.* 1 Videns Saul quod Dauid prudenter ageret & populus eum diligeret, factus est eius inimicus. *1. Regum* 18. Inimicitia magna surgit ex luxuria: Propter deflorationem Dinæ, inter Sichem & filios Iacob inimicitia magna fuit. *Genes.* 34. Fũdebat apud Samsonem lachrymas vxor eius, dicens: *Odisti me,* &c. *Iud.* 16. Judicio Dei fit vt post carnalẽ amorem sequatur odiũ, vt patet in Amon & Thamar eiecta. 2. *Reg.* 13. Inimicitias & odium portant aliquãdo homines mali reprehẽdentibus

eos & loquentibus veritatem. Nam cum Helias argueret Achab de iniqua morte Naboth, dixit ei Achab: *Num inuenisti me inimicum tibi.* 3. *Regum* 21. Dixit Achab ad Iosaphat de Michea: *Ego odi eum, quia non prophetat mihi nisi malum.* 3. *Regum* 22. De hac materia require multum *in cap. de Veritate. cap.* 135. Inimicitias debet homo fugere, & quantum potest inimicos pacificare, & vt pacem cito inueniat, non nimis offendere. Nam Iephthe pacificatus est cum Galaditis qui expulerunt eum, & pro eis pugnauit. *Iudicum* 11. Duo latrones Rechab & Baana; qui tulerunt caput Isboseth Dauid, inimici ipsius fuerunt, ab eo condemnati, 2. *Regum* 4. Cognouit Simon quod Triphon in dolo teneret vel peteret argentum vel pueros, iussit tamen dari, ne inimicitia in populo magna fieret. 1. *Machab.* 13. Reprehendendi sunt qui propter bonas causas nõ faciunt pacem cum inimicis, cum propter mortem Domini facti sint amici Herodes & Pilatus, qui fuerunt inimici. *Luc.* 23. Inimicis deuictis diuinâ non humana virtute, Deo gratiæ sunt reddendæ. In cuius figura Thou rex audiens, quod Dauid expugnasset Adarezer inimicum suum, misit ad eum filium suum, & gratias egit ei, vt dicitur 1. *Paralip.* 18. Amputato capite Holofernis, dixit Iudith: *Laudate Deum, qui fecit victoriam, & interfecit inimicum nostrum. Judith.* 13. Submersis Ægyptijs dixit Moyses: *Cantemus Domino gloriose: quia equum & ascensorem proiecit in mare. Exod.* 15. Raguel & Anna laudauerunt Deum, qui excluserat

ab eis

ab eis inimicum vexantem. *Tob.*8. Machabæi victoria habita, dicunt: *Confusi sunt, &c.* De hac materia quære *in cap. de Discordia.cap.*4.

CAPVT LXV.

De Intentione recta in opere.

Intentio in opere facit exterminare si fuerit.
Opus acceptari, si defuerit,
Habet occultari, si latuerit,
Nequit indicari, quid voluerit,
Debet regulari, ne ruerit.

INtentio imponit finem operi, opus de se non iudicatur, sed intentio. Nam vna & eadem operatio facta ad diuersas intentiones, sortitur virtutem & vitium. Vnde Cain occidit Abel, & peccauit, quia ex inuidia fecit & malam intentionem habuit. *Genes.* 4. Dauid interfecit Goliam, & meruit; quia ex iustitia, & vt populum defenderet. 1.*Regum* 17. Abraham & Sara riserunt in promissione filij, sed risus fuit Abrahæ commendatus & virtuosus; quia ex lætitia; Saræ vero reprehensibilis, quia ex incredulitate. *Genes.*17.*&* 18. Pharao dixit, *Peccaui*: Iuda etiam dixit, *Peccaui:* nec tamen veniam meruerunt; quia erat intentio eorum deprauata. *Exod.* 9. *Matth.*27. Dauid dixit similiter, & Deus pepercit; quia rectam intentionem habuit. 2.*Reg.*12. Non solum idem opus diuersis intentionibus à diuersis personis factũ &

virtus & vitium eſt, ſed factum etiam ab eodẽm. Nam Moyſes quaſi idem dixit & non hæſitauit, & idem poſtea hæſitans, primo meruit, ſecundo peccauit, vt habetur *Numer.* 20. *& Exod* 18. Multiplices intentiones habebant turbæ in ſequendo Chriſtum. Nam quidam ſequebãtur eum, vt eum nequiter obſeruarent: & hi grauiter peccauerunt, vt habetur *Luc.* 14. Quidam vt de panibus eius ſaturarentur; & hi nec merebantur, nec peccabant. *Joan.* 6. Alij vt ſanarentur à languoribus. *Ioan.* 6. Alij vt audirent verba eius, & inde ædificarentur: & hi multipliciter merebantur. *Luc.* 5. Diuerſitas intentionum in cupiendo Chriſtum videre Zachæum fecit mereri ſalutem domui ſuæ. *Luc.* 19. Et latronem demereri Chriſti reſponſionem. *Luc.* 23. Intentio & voluntas reputatur pro facto, ſi poſſibilitas non affuerit: Nam commendauit Dominus bonam voluntatem Dauid de ædificando templum, licet ipſe noluerit quod ædificaretur per eum. 2. *Reg.* 7. Herodis intentio quando occidit pueros fuit, quod voluit occidere Chriſtum, licet non potuerit; ideo Chriſticida vocatur. nam ita peccauit ac ſi Chriſtum occidiſſet. *Matth.* 2. Sine cauſa non dixit Ieſus; qui viderit mulierem ad concupiſcendã eam iã mæchatus eſt eã in corde ſuo. *Matth.* 5. Intentio celatur ab opere, non opus ab intentione; nam Dauid miſit ad Vriam vt veniret & quieſceret, non propter eius quietem, ſed vt ſuum peccatum celaret. 2. *Reg.* 41. Ornauit ſe Iudith vti ſolent ſe ornare laſciuæ mulieres;

res; sed illa ornatio non ex libidine, sed ex maxima virtute patriam defendendi processit. *Iud.* 11. Herodis intentio erat Christum occidere; sed tamen eam sub adorationis pallio abscōdit. *Matth.* 2. Intentio hominis in his quæ aguntur ab eo, nec debet nec potest de facili iudicari vtrum sit bona vel mala, maxime in ambiguis: & debet homo semper bonum opus in bonam partem conuertere; nam filij Ruben & Gad ædificauerunt altare ad bonam intentionem, quod filij Jsrael in oppositum conuerterunt, vt habetur *Ios.* 22. Quia Mardochæus non adorabat Amon, credebat Amon quod faceret ex despectu; sed non ex despectu processit, sed quia creaturæ noluit facere reuerentiam creatoris. *Hester.* 3. Prohibuit Dominus duobus cæcis illuminatis ab eo, ne cui hæc dicerent: at illi diffamabant eum in tota terra illa; nec tamen arguuntur transgressores, vt habetur *Matth.* *cap.* 20. Intentiones habendæ in operibus, regulam dedit Christus, quam scilicet intentionem debet homo habere vel bona faciendo, vel mala sustinendo, (quæ omnia debent referri intentionaliter in ipsum) dicens: *Beati eritis cum oderint vos homines & maledixerint vos propter nomen meum. Gaudete & exultate,* &c. *Matth.* 5. Similis regula habetur, cum dicitur: *Qui dederit potum,* &c. *Marc.* 9. Item, *Omnis qui reliquerit domum,* &c. *Matth.* 19. Eleemosynam dare, ieiunare, orare pręcepit Dominus fieri, non intentione placendi hominibus, sed placendi Deo, qui in abscōdito videt, & in

& in abſcondito manens iuxta intentionem remuneratur operantem. *Matth.6.*

Capvt LXVI.

De Inuidia & Æmulatione.

Inuidia & Æmulatio
Mortis doloribus dat occaſionem:
Summis honoribus minorationem
Dat detractoribus oblocutionem,
Propinquioribus perturbationem,
Dei cultoribus non dat læſionem.

INuidia occaſio eſt ſpiritualis& corporalis mortis. Nam, vt ſcribit Sapiẽtia: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, quia ſcilicet videns diabolus hominem eſſe in ſtatu felici, & ad illum locum poſſe accedere, vnde ipſe ceciderat, doluit & tentauit, & vicit, & homo vtriuſque ſententiam mortis incurrit tunc, vt dicitur *Geneſ.3.* Cain motus inuidia Abel fratrem ſuum occidit: quia eius munera & non ſua Dominus accepit. *Geneſ.4.* De hac materia quære *in cap. De Homicid. cap.* 46. Non miſeris, ſed poſitis in diuitiis & honoribus inuidetur. Nam quia Dominus benedixerat Iſaac, & multiplicatus eſt, ob hoc inuidebant ei Palæſtini. *Geneſ.26.* Propter honorem quẽ dabant Palæſtini Dauid, canentes percuſſo Philiſtæo: Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia, inuidere cœpit Saul, & perſequebatur Dauid, 1.

Regum

Regum 18. Videntes ſatrapæ & principes quod Daniel eos honoribus ſuperabat, quærebant occaſionem contra eum, vt dicitur *Dan.* 6. Principes Sacerdotum audientes à pueris Chriſtum honorari, clamantes; *Oſanna*, & videntes miracula, ſunt contra Chriſtum per inuidiam indignati. *Matth.* 21. *Lucæ* 19. Audientes Phariſæi Lazarum ſuſcitatum, & videntes turbam ſequentẽ Chriſtum, inuidentes collegerunt cõſilium. *Ioan.* 11. Inuidetur ſapientibus & docentibus bona, ab his qui neſciunt & doceri nolunt. Nam videns Achitophel quod Chuſi conſilium præualeret doctrinæ & cõſilio ſuo, inuidia ſtimulatus laqueo ſe ſuſpendit, 2. *Reg* 17. Petro & Ioanne loquentibus ad populum, ſacerdotes dolebant, quod populum inſtruerent, *Actor* 4. Audientes Phariſæi verba ſapientiæ, quæ Stephanus loquebatur diſſecabantur cordibus ſuis; (quia inuidia inuidus corrumpitur intus & extra) & ſtridebant dentibus ſuis in eum. *Actor.* 7. Conuenientibus ciuibus audire Paulum & Barnabam Iudæi repleti ſunt zelo. *Actor.* 13. Inuidi nõ valentes ſe aliter ſatiare, murmurant & detrahunt ad modum canis latrantis. Sic Alcimus proditor Iudæ & Nicanor inuidia detrahebant. 2. *Machab.* 14. De hac materia quære plura *in cap. De Detractione, cap.* 39. Jnuidi non parcunt propinquis, quin inuideant omnibus, & detrahant, & offendunt Nam Rachel Lyæ ſorori ſuæ inuidebat. *Geneſ.* 30. Fratres Ioſeph inuidebant ei, vidẽtes quod à patre plus amaretur, *Geneſ.* 37 Maria ſoror Moyſi & Aaron

& Aaron frater eius in Moysen inuidia moti sunt. *Numer.* 12. Frater filii prodigi videns fratrem suũ cum honore receptum indignabatur, ei & noluit intrare. *Luc.* 15. Inuidi in quantum possunt, nituntur impedire bonos, bene operantibus multimode detrahentes. Nam ædificantibus templum, filijs Iuda post reditum de Babylone, gentes inuidentes eis multipliciter inuidebant, & grauissime vexabant eos. 1. *Esdr.* 4. Audientes Sanaballat & Tobias quod venisset homo qui quæreret prosperitatẽ Israel, contristati & moti sunt contra ædificantes, vt clare habetur *Neem.* 4. Cum ex Athenien sibus multi Iudæi crederent, inuidentes concitauerunt omnes ciues, vt habetur *Actor.* 17. Inuidiam debent fugere boni homines, quãtumcunque ab ea aliquando stimulentur; nam cum duo viri prophetarent in castris, Josue quasi inuidens eis (quia mos est discipulorum inuidere doctrinæ aliorum magistrorum) dixit Moysi: Domine mi, perhibe eos; at ille, quid æmularis pro me? nec ad inuidiã prophetantium induci potuit verbis eius, sed desiderabat singulos prophetare, vt dicitur *Numer.* 11. Fugit Joannes Baptista inuidiã; quia cum dicerent ei discipuli sui similiter moti inuidia, quia Christus baptizauit, & turbæ sequebantur eum, Respondit: *In hoc gaudium meum impletum est. Ioan. cap.* 3.

CA-

Capvt LXVII.

De Hypocrisi & Simulatione.

Hypocritæ & simulatores,
Gentes decipiunt, bona simulantes,
Porros accipiunt frondes detestantes,
Dentes suscipiunt, mortem comminantes.

Hypocritæ & simulatores intendunt semper suis simulationibus aliquam deceptionem inferre, sicut Amon simulauit se languere, vt sororem suam Thamar ad se venire faceret, vt eam deciperet & opprimeret; quod & fecit. 2. *Reg* 13. Hiezi simulauit Dominum suum vestibus indigere, vt Naaman deciperet, & ipse acciperet vestimenta. 4. *Reg.* 5. Apollonius pacem Iudæis solennitatibus Sabbathum simulauit; & sic eos decipiens arma sumens, multos ex eis nequiter trucidauit, vt dicitur 2. *Machab.* 5. Pharisæi placida verba Saluatori dicebant, volentes eum capere in sermone. *Matth.* 22. & *Marc.* 12. Non solum homines, sed etiam ipsum Deum hypocritæ conantur decipere. Et ideo Simon magus reputabat se esse Deũ, simulans se volare in aere, quod diabolus modo fecit; quem Petrus turpiter prostrauit, vt patet in Legenda Sanctorum. Legitur & de Simone quodam, qui volebat emere Spiritum Sanctum, vt videtur *Actor. cap.* 8. Hypocritę cauent sibi de peccatis minoribus; de maioribus vitijs non curantes: de quibus dicit Dominus, quod sunt excolãtes puli-

pulicem, & deglutientes camelum. *Matth.* 23. Pharisæi noluerũt intrare in parasceue Pilati prætorium, vt non cõtaminarentur, Christum eadem die occidere non timentes. *Ioan.* 18. Archisynagogus volebat Sabbathum custodiri à populo, ne sanitatem reciperet, sed non timebat offendere Deum, detrahendo ei, & populum à bono subtrahendo. *Luc.* 24. Hypocritas punit Dominus maledictionibus, reprehensionibus & flagellis: & sic sunt à Prælatis & à prædicatoribus arguendi. Nam vxori Ieroboam, quæ de viri consilio, mutato habitu, se aliam simulauit prophetam inquirens, Achias Propheta Domini mandato & ipsi & viro multas maledictiones & flagella simul cum nece filij nunciauit. 3. *Regum* 14. Nam cum Scriptura diuina generaliter impium detestetur; tamen singulariter hypocritis multipliciter comminatur, dicens: *Væ vobis, Matth.* 26. Manifeste hypocrisim Ananiæ & Saphyræ Petrus acriter increpando, puniuit. *Actor.* 5. Elymam magum Paulus grauiter de hypocrisi increpauit. *Actor.* 13.

Capvt LXVIII.

De Ira Dei contra delinquentes.

Irascitur Dominus non obsequentibus eius præceptis:

Deum colentibus, aris erectis,

Laudes non canentibus, pro iam receptis,

Se

Se inserentibus, rebus ineptis,
Pro præsidentibus, parcit subiectis.

IRascitur Deus contra nõ obedientes ei & præceptis eius. Sed notandũ ante omnia, quod secundum Augustinum. 5. *De ciuitate Dei*, Ira Dei nõ est perturbatio animi eius, sed iudicium quod irrogatur peccato. Cogitatio vero eius & recogitatio mundanorum est immutabilis ratio. Non enim sicut hominem, ita Deum cuiuscunque facti sui pœnitet: cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam certa præscientia. Sed si non vtitur Scriptura talibus verbis, non hoc modo familiari insinuabit omnem gratiam hominũ quibus vult esse consultum, vt perterreat superbientes, excitet negligentes, exerceat quærentes, & alat intelligentes; quod non faceret si non se prius inclinaret, & quodammodo descenderet ed iacẽtes. Sic iratus contra Moysen nolentem recipere ducatum populi, quando pluries mandauit ei. *Exod.*4. Contra Ægyptios nolentes obedire Deo, populum dimittẽdo iratus est Deus, & misit iram suam. *Exod.* 12. Propter inobedientiam populi & Moysi iratus est Dominus contra eum ad aquas contradictionis. Vnde ipse dixit: *Est mihi Dominus iratus propter vos. Deut.*2. Filijs Israel, quia non obedierunt, & tulerũt de anathemate, iratus est Deus. *Ios.*7. Dixit Iosias: Magnus furor Domini stillauit super nos; quia non custodierunt patres nostri præcepta Domini Dei nostri, 2. *Paralip.*34 Mul-

tum debent Christiani iram Dei timere, cum Artaxerxes rex paganus dixerit: *Omnia in nobis secundum legem Dei fiant, ne forte ira Dei exurgat.* 1. *Esd.* 7. Irascitur Deus idololatris, Deum cœli non adorantibus. Nam iratus est Dominus Salomoni eo quod auersa esset mens eius à Domino; quia deos alienos propter mulierẽ adorauerat. 3. *Reg.* 9. Propter peccatũ idololatriæ iratus est Dominus contra populum Israel; & tradidit eos in manus Azahel regis Syriæ. 4. *Reg.* 13. Propter auguriũ & idololatriam irritauerunt Dominum filij Israel; ideo iratus est eis 2. *Paral.* 24. Increduli quasi idololatræ reputantur super quos descendit ira Dei. Nam qui credit in filium Dei, habet in se vitam æternã: qui autem incredulus est, ira Dei manet super eũ. *Ioan.* 3. Irascitur Deus contra ingratos, qui sua beneficia non recognoscentes, peiora mala accumulãt. Sic iratus est contra Amasiam regem Iuda, qui diuino auxilio superauit Idumæos; & attulit deos eorum & adorauit eos. 2. *Paral.* 25. Ezechias non retribuit secundum beneficium Domini; sed eleuauit cor suum contra Dominum, & facta est ira Dei contra Iudam & Israel. 2. *Paral.* 32. Seruus nequã ingratus, cui Dominus tot & tanta dimiserat, noluit misereri conserui. *Matth.* 18. Idcirco iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec quadrãtem nouissimum resignaret. Iudæis non recognoscentibus gratiam sanationis infirmorum, quam Christus faciebat infirmis, sed obseruantibus si Sabbatho curaret vt accusarent eum, iratus est Dominus

minus ſuper cœcitatem cordis eorũ. *Marc.3.* Contra ingratos inuitatos ad cœnam & nolentes venire, ſed perſequentes ſeruos & nuncios, iratus eſt Dominus; qui perdidit homicidas & eorum ciuitates ſuccendit. *Luc.20. Matth.22.* Iraſcitur Dominus contra peccatores diuerſorum vitiorum. Sic iratus eſt contra populum ſuum propter peccatũ gulæ; qui populus æſtuabat deſiderio carnium, ſedens & mærens, *Num.11.* De guloſis autem dicitur: *Comederunt & ſaturati ſunt, prouocauerunt autẽ te ad iracundiam. Neem.9.* Propter peccatum murmurationis egreſſa eſt ira à Domino & plaga. *Numer.15.* Propter vitiũ luxuriæ iratus eſt Dominus contra populum fornicãtem cum filiabus Moab. *Num.25.* Tractantes Euchariſtiam indigne, exterminantur irâ Dei. Nam Ozæ quia indigne tetigit arcam Dei vt eam ſuſtentaret, iratus eſt Dominus, & percuſſit eum, & mortuus eſt. *2. Reg.6.* Quia Joſaphat ſociauerat ſe peccatoribus & Achab, dixit ei Iehu: Jram Dei meruiſti. *2. Paral.19.* Cõtra peccatores non loquentes recta, iraſcitur Dominus. Sic iratus eſt contra Eliphar & duos ſocios eius, quia contra Ioab non loquebantur recta. *Ioan vlt.* Multũ timenda eſt illa ira quam Dominus oſtẽdet peccatoribus in die iudicij: de qua dicit Joannes: *Reges terræ, &c. dicent mõtibus, cadite ſuper nos, & abſcondite nos ab ira agni. Apoc.* Iram Dei debent Prælati auertere à populo orationibus & obſecrationibus. Sic fecit Moyſes dicens: *Cur iraſcitur Dominus populo ſuo? Exod.32.* Occaſione Chore irato

Domino, dixerunt Moyſes & Aaron orantes ad Dominum: *Fortißime Deus ſpirituum: num vno peccante ira Dei contra omnes deſæuiet. Numer.* 16. Propter hanc cauſam conſtituit Joſaphat iudices & principes, id eſt, Prælatos, dicens eis: *Oſtendite fratribus veſtris, vt non peccent, ne ira Dei deſcendat ſuper eos. 2. Paral.* 19.

CAPVT LXIX.

De Ira hominis per zelum.

Iraſcitur homo bono zelo contra mandata Dei non implentes,
Inordinata vita viuentes:
Cum obſtinata mente degentes:
Vt perpetrata ſint pœnitentes.

IRaſcuntur Prælati non obedientibus præceptis vel mandatis Eccleſiæ. Sed ſciendum eſt, quod ira per zelum eſt iraſci contra vitia, & non contra homines. Nam, ſecundum beatum Auguſtinum: *Sic diligendi ſunt homines, ne errores eorum diligantur.* Aliud enim eſt odiſſe quod faciunt, & aliud quod facti ſunt. Sic Moyſes, cum Pharao nollet acquieſcere præcepto Domini, vt dimitteret populum, exiuit ab eo iratus. *Exod.* 11. Præceperat Dominus per Moyſen populo, quod nullus dimitteret Manna; quibuſdam reſeruantibus, cum ſcaturiret vermibus, iratus eſt Moyſes *Exod* 16. Heliſeus iratus eſt contra Ioab, quia non percuſſit

terram

terram sagitta sicut ei fuerat imperatum. 4. *Regum* 3. Irascuntur hominibus viri & maxime Prælati, quando vident inordinate viuentes, & transgredientes obseruantias, & ceremonias ordinatas. Sic Moyses reuertens & videns populum inordinate viuentem, siue ludentem, & vitulum adorantem, iratus proiecit ad radices montium tabulas & confregit. *Exod.* 32. Cum reuersus est Moyses, & reperit hircum pro peccato exustum, qui debebat comedi, est iratus contra Eleazar & Ithamar. *Leuit.* 10. Irascuntur Dei viri contra homines obstinatos in malo, qui nec admonitionibus nec exhortationibus corriguntur. Sic Moyses videns obstinatam rebellionem Chore & complicium eius, iratus est, nihilominus tamen pro eis orauit. *Numer.* 16. Considerans Ionathas obstinatam malitiam patris contra Dauid, surrexit à mensa in ira furoris. 1. *Regum* 20. Respexit Dominus in ira obstinatos Iudæos qui obseruabant eum, & contristatus est. *Marci* 3. Irascuntur iudices contra reos, vt eos puniant. Quia secundum Chrysostomum: *Tolle iram, doctrina non proficit, iudicia non procedunt.* Sic audita Dauid parabola à Nathan iratus aduersus hominem dixit: *Viuit Dominus quia homo mortis est.* 2. *Regum* 12. Neemias propter vsuras quas exigebant optimates, iratus increpat eos. *Neem.* 5. Audita ab Hester querimonia de Amon, Rex Asuerus surrexit de conuiuio iratus. *Hester cap.* 7.

Capvt LXX.

De Ira hominis per odium.

Irascuntur mali ex inuidentia ad felicitatem:
Per attrahentia ad iniquitatem,
Ex extollentia ad rapacitatem,
Ex negligentia ad vtilitatem,
Ex displicentia propter vtilitatem.

IRascuntur solum inuidi propter inuidiam contra innocentes, sic iratus est Cain contra fratrẽ suum Abel, & occidit eum. *Genes.4.* Audiens Saul commendari Dauid, iratus est, & displicuit ei sermo. 1. *Regum* 18. Inuidi etiam irascuntur contra excusantes illos quibus inuident. Nam cum Ionathas excusaret Dauid, iratus est Saul contra eum, cum iurgio. 1. *Regum* 20. Cum audiret Sanaballath, quod murus Hierusalem ædificaretur, ex inuidia iratus est, *Neem.4.* Audiens Antiochus prœlia & victorias Iudæ Machabæi, iratus est, 1. *Machab.3.* Irascuntur mali propter bonos quando non possunt eos ad malum inducere, vel à bono retrahere, sic iratus est Balach contra Balaam, quia noluit maledicere populo Dei. *Numer.* 24. Irati sunt magistratus Holofernis contra Achior loquentem pro populo Dei volentes occidere eum, vt dicitur *Iud* 5. Eliu filius Buzites iratus est contra Job vere dicentem, se iustum esse, vt dicitur *Job.32.* Gentes iratæ sunt, quia filij Israel ædificauerunt

uerunt templa & ſanctuarium ſicut prius. 1. *Machab.* 5. Tortores Eleazari audientes verba conſtantiæ eius, in iram conuerſi ſunt. 2. *Machab.* 6. Poſt conſtantia verba ſeptem fratrum accenſus eſt Antiochus, & magis deſæuit. 2 *Machab.* 7. Iraſcuntur tyranni ſuperbi contra ſubditos ſuos comminiſcentes cauſam, vbi non eſt cauſa, vt ſubditos ſpolient & occidant. Sic iratus eſt Achab contra Naboth, vt vineam eius auferret; & iniuſte fecit eum occidi, ſeu de conſilio Jezabel damnari & lapidari, 3. *Regum* 21. Senacherib fugiens plagam quam intulerat ei *D*eus iratus, multos Iudæos occidit. *Tobiæ cap.* 1. Holofernes exarſit in iracundiam, audiens quod Iudæi defendere ſe pararent, *Iudith.* 5. Iratus eſt Amon contra Mardochæum; quia ei diuinos honores impendere recuſabat. *Heſter.* 3. Nabuchodonoſor in ira magna præcepit ſapientes Babylonis occidi, quia neſciebant ſomnium indicare. *Dan.* 2. Item Nabuchodonoſor in ira & furore iuſſit ſibi tres pueros præſentari, & in ignem ardentem mitti, *Dan.* 3. Videns Antiochus quod non poſſet expugnare Perſepolim, iratus eſt ira magna, 2. *Mach.* 9. Iraſcuntur mali cōtra inſtruentes & conſulentes recte. Sic poſt ſalubre cōſilium Heliſei Mamam iratus recedebat indignans. 4. *Reg.* 5. Aſa iratus eſt cōtra Hanani Prophetā reprehendentē eū, 2. *Paral.* 16. Ozias rex iratus eſt contra ſacerdotes, & minabatur eis, quia arguebant eū quod adolebat incenſum. 2. *Paral.* 26. *D*icente Tobia: *Videte ne hœdus furtiuus ſit, vxor eius*

irata est.Tob.2. Principes Iuda irati sunt contra Hieremiam prædicantem veritatem, & incarcerauerunt eum. *Hierem.38.* Respondente Christo de veritate illis de Nazareth, repleti sunt omnes de synagoga ira. *Luca* 4. Irascuntur videntes & credentes se decipi vel illudi. Sic irati sunt viri de Ephraim; quia separauit eos Amasias ab exercitu suo, vt dicitur 2.*Paralip.*25. Ionas credens se decipi, quia Niniue non erat subuersa, desiccata Hedera, iratus est. *Ion.3.* Iratus est Herodes illusus à Magis, *Matth.2.*

Capvt LXXI.

De occultis Dei Iudiciis.

Iudicium Dei occultum est,
Bonum elicere de indecentibus,
Pœnas adiicere, se diligentibus,
Magna subiicere, dure regentibus,
Posse deficere, stare credentibus:
Rebenedicere iam pœnitentibus,
Nil potest dicere quis de latentibus.

IVdicio Dei occulto fit vt aliquando fiant aliqua quæ videntur nobis malefacta, vt inde aliquod bonum eliciatur; quia tunc potuit nobis fieri manifestum; nam sciebat Deus hominem peccaturum, & tamen factus est ab eo peccabilis, cum potuisset impeccabilis fieri; sed quantum bonum occasione illius culpæ sequeretur, scilicet incarnatio

natio filij Dei, non de incarnatione hominis, sed de incarnatione filii Dei. *Gen.*1. & 3. Venditonē Ioseph à fratribus suis, consecuta est liberatio Ægypti & circumstantium regionum. *Genes.* 41. Exulauit Moyses de Ægypto, & postea Dei habuit visiones, & fuit princeps populi. *Exod.* 2. 3. & *seqq.* Iudicio suo occulto permittit Deus aliquando iustos flagellari in mundo, vt si quid habuerint rubiginis, flagelli percussione purgentur. Nam antequam filij Israel educerentur de Ægypto longo tempore affligi & flagellari permisit. *Exod.* 2. Tobias post pia misericordiæ opera in quibus erat solicitus, lumine est priuatus. *Tob.* 2. Mirabantur & scandalizabantur amici Job iusti, videntes eum taliter flagellari. *Ioan.* 2. Prophanatum est per Antiochum venerabile templum Dei: & Dei fidelis populus interfectus. 2. *Machab.* 9. Tempore Antiochi multi boni homines interfecti sunt, ex quo Deus elicuit malorum punitionem, & quorundam correptionem, & multorum occisorum merita fuerunt Deo multipliciter augmentata. 2. *Machab.* 6. & 7. Iudas & Ionathas & Simon fratres fidelissimi fuerunt mortui. 1. *Machab.* 12. & 13. Eleasarus vir bonus & senex, & illi septem fratres fuerunt pro lege Dei terribiliter cruciati. 2. *Machab.* 6. & 7. Maria purissima Virgo & sanctissima Regina cœli, cum Ioseph & puero Saluatore coacti sunt fugere in Ægyptum propter timorem Herodis. *Matth.* 2. Occisi sunt innocentes ab Herode, sed nunquam tantum profuisset oble-

quium quantum profuit odium, *Matth.2.* Ioannes Baptiſta ſanctitatis exemplum fuit ab Herode nequiſſimo decollatus. *Matth.14. Marc.6.* Ioannes innocens in paſſione ſua paſſus eſt ab iniquis diuerſa genera tormentorum. *Actor.per tot.* Paulus fuit multipliciter incarceratus & iuſſus, vt à prædicatione ceſſaret, *Act.16.* Et tamen hoc factum eſt voluntate diuina, vt Iudæis multas vtilitates efficeret. Nam meritum Pauli excreuit, exempla virtutum reliquit, & melius docuit per opera quã docuiſſet per verba. Nec ſanctus Paulus tantum profuit prædicando quantum ipſe profuit epiſtolas tranſmittendo, vt habetur *Actor.9.* Iudicio *D*ei fit vt mali indurentur in malo, & exaltentur in mundo ad maiorem eorum confuſionem ad pœnam præſentialis vel futuræ. Sic indurari permiſit cor Pharaonis, & eum ſuper populum exaltari, vt mirabilem vindictam oſtenderet patenter in mari contra eum. *Exod.14.* & 15. Multa regna permiſit *D*eus ab Holoferne vaſtari, vt per manum fœminæ deijceret eum. *Iudith* 13. Satis permiſit *D*eus proſperari Herodem, qui decollauit Ioannem ad petitionem meretricis & ſaltatricis puellæ. Nec legimus in Canone de aliquo illorum Deum in præſenti vltionem feciſſe; ſed reſeruauit eos ad futura & grauia tormenta. *Marc.6. Matth.* 14. *D*e hac materia quęre plura *de Proſperitate mũdana.c.96.* Iudicio *D*ei fit aliquãdo occulto, vt boni aliquando in diuerſa peccata labantur, vt qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Sic nullus pro ſta-

tu quem

tu quem habet, vel bonum quod facit, debet alta ſapere, ſed timere. Nam Gedeon poſt mirabilem victoriam *D*ei virtute obtentā fecit Iphod; quod factum eſt ei & eius domui in ruinam. *Iudith* 8. Moyſes qui totiens populum reconciliauit peccantem, ipſe ad aquas contradictionis peccauit. *Num*. 20. Samſon à ſterili miraculoſe, angelo nunciante, conceptus, fuit pluries per mulierem deceptus, *Iudic*. 16. Saule non erat in populo melior quando fuit electus; qui factus peſſimus, fuit à *D*omino reprobat⁹ 1. *Reg*. 15. Inter alia mala quæ Saul fecit (quod ſatis videtur mirabile) S. Samuelem à Rythoniſſa fœmina ſuſcitari fecit. 1. *Reg*. 28. Auguſtinus tamen dicit *in lib. de Doctrina Chriſtiana*, quod fuit imago Snmuelis, non ipſe Samuel, nec eius anima: & talis imago fuit arte ſacrilega dæmonum præſentata. *D*auid ſanctiſſimus & Salomon ſapientiſſimus ſpecialiter à Domino commendati. 2. *Reg*. 7. Ambo tamen in peccata grauiſſima corruerunt, 2. *Reg*. 11. Ieroboam qui fuit à *D*omino ſuper decem tribus conſtitutus, populum ad idololatriam concitauit. 3. *Reg*. 12. Iehu rex Iſrael, qui magno zelo perſecutus Baal, ab idololatria Ieroboam non receſſit. 4. *Regum* 10. Joſias rex Juda ſanctiſſimam vitam duxit, qui poſtea cōtra voluntatem *D*ei cum rege Ægypti pugnauit & bellum perdidit 2. *Paralip*. 35. Petrus Apoſtolorum princeps & caput Eccleſiæ ter *D*ominum non cognouiſſe aſſeruit, vt videtur *Matth*. 26. Thomas qui confidenter dixerat: *Eamus & moriamur*

cum

cum illo, in resurrectione dubitauit. *Ioann*.20. Ex istis duobus exemplis secutum est, quod Petrus fuerit mitior contra peccatores, & quod nullus debet de sua firmitate confidere, & siue cadat siue dubitet, de Dei Omnipotentis misericordia nunquam desperet. Iudas Apostolus Domini & dispensator collegii, in scelus Christi proditionis incidit. *Matth*.26. Iudicio Dei fit aliquando vt peccatores puniantur in præsenti, vt magnificetur inde Deus; ideo de quibusdam Domini sententia fuit, vt indurentur corda eorum, & caderent & perirent. *Ioan*.9. Hoc ipso quod filij Israel manserunt 40. annis in deserto propter peccata ipsorum, amplius magnificatus est Dominus, qui tanto tempore eosdem in solitudine pauit, & tamen in promissionis terram non introduxit. *Numer*. 28 & *Deuter*. 1. Iratus filiis Israel Dominus propter peccata eorum dixit: Non adijciam vt vltra vos liberem. *Iud*. 2. Filij Beniamin propter scelus vxoris Leuitæ sic grauiter sunt puniti: vt pauci remanserint. *Iudic*. 20. Permisit Dominus arcam capi ab incircumcisis, vbi multa miracula fecit, ex quo magnificatus est Dominus, 1. *Regum* 4. Terribile fuit quando duos quinquagenarios principes fecit Elias ab igne ibi deuorari, vt appareret Dei magna potentia, ad cuius nutum obediũt vniuersa. 4. *Regum* 1. Occidit leo virum Dei, sed de carne non comedit. 3. *Regum* 13. Diuina iustitia punit interdum malos homines per peiores. Sicut filij Israel puniti sunt per Chaldæos. *Esaiæ* 13. Judicio

Dei

Dei occulto dat ipse super peccatores sententiam pœnæ, & postea placatus pœnitentia parcit eis. Nam cum esset Achab sceleratissimus, & audiret pœnam pro criminibus exigendam cœpit humiliari exterius, & Dominus pœnam infligere prolongauit. 3. *Regum* 21. Ezechiæ dedit Dominus sententiam quod mori debebat; sed cum orasset cum lachrymis, Deus sententiam reuocauit, *4. Reg.* 20. Manasses terribilia facinora perpetrauit, & ad Dominum conuersus, à Domino est exauditus *2. Paralip.* 33. Niniue subuerti debebat, sed propter pœnitentiam euasit subuersionis periculum. *Ioan.* 3. Iudicio Dei occulto fiunt aliqua quorum Deus solus inuestigator est. De quibus nullus homo balbutiendo loqui potest: quæ sunt soli ipsius secreto consilio relinquenda. Sic moriturus Dauid fecit ordinationem satis mirabilē. Sed quia Scriptura commendat eum, non debet perquiri vlterius 3. *Regum* 2. Quidam Scriba obtulit se ad sequendum Dominum, & non fuit admissus. Alium vero incitauit, qui non videbatur voluntarius ad sequendum, dicens: *Dimitte me sepelire mortuum. Matth.* 8. *Luca* 9. Fecit Dominus virtutem in Corozaim & Bethsaida, vbi parum profecit, & non in Tyro & Sydone, vbi plurimum profecisset, *Luc.* 10.

CAP.

Capvt LXXII.

De Iudiciis hominum rectis.

Iudex vt recte iudicet, debet perquirere causa decentiam:
Sensus exquirere sufficientiam:
Rectum perquirere, dando sententiam.

IVdex vt recte iudicet, debet causam prius diligenter inuestigare & examinare, vt recte cognoscat quam sententiam ferre debeat; ideo dicitur: *Causam quam nesciebam diligēter inuestigabam, Ioan.* 29. Deus quem nil latere potest, vt de hoc iudicibus exemplum demonstraret, descendit videre ciuitatem quam superædificauerunt filij Adam, antequam eos puniret diuisione linguarum in Babylonia. *Genes.* 11. Noluit Dominus de Sodomitis iudicare antequam diceret: *Descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerūt. Gen.* 19. Salomon vtiliter, subtiliter & diligenter inuestigauit causam illarum duarū mulierum, & sic iustum iudicium indicauit, vt patet 3. *Reg.* 3. Diligēter & distincte examinauit Daniel duos senes de falso crimine in Susannam. *Dan.* 13. Noluit Festus Præses subito Paulum iudicare, sed dixit: Non est consuetudo Romanis aliquem iudicare antequam accusatus fuerit: Præses autem accusatores locumque defendendi ad obiecta crimina det, vt scil. melius valeat inuestigare. *Act.* 25. Iudex vt recte iu-

cte iudicet, non debet stare suo proprio sensui, sed in quibus est aliquod dubiũ, consulere debet consilium diuinum pariter & humanum. Sic Moyses cõsilio Iethro acquieuit, vt Dei populum salubriter iudicaret. *Exod.* 28. Ob hanc causam constituit Moyses maiores iudices & minores, vt simul haberent consilium. *Exod.* 18. Cõsuluit Moyses propter causam filiarum Saphat, & respondit Dominus: *Cum mortuus fuerit vir absq; filio, ad filiam eius transibit hæreditas. Numer.* 27. Iudex vt recte iudicet, post inuestigationem & consilium habitum, debet rectam habere sententiam, & nec prece, nec amore, nec odio deuiare à tramite veritatis. Sic Moyses de duodecim bobus, & sex plaustris nullum iudicauit esse filiorum Carith, licet essent ipsi propinquiores. *Numer.* 7. Recte iudicauit Moyses quod filij Ruben & cæteri qui petebant terram iam acquisitam, armati alios ad bella præcederent, donec esset alia terra acquisita, vt clare habetur. *Numer.* 32 Antiochus licet esset malus, recte iudicauit Andronicum, qui iniuste occiderat Oniam, 2. *Machab.* 4.

CAPVT LXXIII.

De Iudicijs hominum falsis.

Iudicium iniustum est cum interrumpitur vana gloria & pigritia.
Quando corrumpitur ex auaritia:
Quando prorumpitur ira nequitia:

Quan-

Quando dirumpitur ex amicitia.

IVdex tunc inique & iniuſte iudicat quãdo cauſam non diligenter examinat, ſed ſignis & relationibus cito credit. Sic Iudas male iudicauit Thamar comburendam, audiens quod eſſet fornicata cum alio, & non prius examinans veritatem. *Geneſ.* 38. Dominus Ioſeph nimis cito credidit verbis coniugis, Joſeph falſe accuſantis, & ipſum ſine examine, aliquo tempore carceri mancipauit, *Geneſ.* 39. Iudicat iudex iniuſte per auaritiam corruptus pecunia, quæ peruertit tunc iudicium. Sicut dicitur de filijs Samuelis: *Declinauerunt poſt auaritiam, & peruerterunt iudicium.* 1. *Regum* 8. Iniuſte protulit Dauid ſententiam Miphiboſeth, propter munera quæ dedit ei Siba. 2. *Regum* 15. Poſtquam autem cognouit ſententiæ huius veritatem, noluit eam immutare. 2. *Regum* 19. De iudicibus noſtri temporis dici poteſt, quod dicitur de iudicibus & principibus Iſrael; *Principes tui infideles ſocii furum omnes diligunt munera, aurum ſequuntur*, vt dicitur *Eſaiæ* 1. Menelaus culpabilis propter pecuniam eſt abſolutus ab Antiocho. Et accuſatores eius innocentes ſunt ab eodem iniqua morte damnati. 2. *Machab* 4. Judicat iudex non recte qui iudicat cum ira & furore. Nam ira impedit animũ ne poſſit cernere verum. Sic Nabuchodonoſor male iudicauit, quando in furorẽ & ira præcepit, vt omnes ſapientes Babylonis interficerentur, quia eius ſomnium ignorabant, *Dan.* 2. Herodes in

igne

igne iudicium protulit, quando iratus eſt valde, & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Hieruſalem & in omnibus finibus eius. *Matth.* 2. Judex non recte iudicat, quando ad petitionem aliquorum amore vel timore à via veritatis deuiat. Sic male iudicauit Sedechias de Ieremia, & ad petitionem principum, eum ſine cauſa terribiliter incarcerauit. *Hierem.* 37. Licet Darius rex Perſarum ſciret Danielem innocentem, tamen ad petitionem Satraparum fecit eum mitti in lacum leonum, vt ibi à leonibus deuoraretur. *Dan.* 6. Ad petitionem Babyloniorum rex timore correptus, Danielem pœnæ ſimili adiudicauit, *Dan.* 14. Ad vnius ſaltatricis petitionem iuſſit Herodes Joannem iuſtiſſimum decollari. *Matth.* 14. *Marc.* 6. Iniquum iudicium dedit Pilatus, qui ad petitionem Iudæorum, volens eis placere, Barnabam ſeditioſum dimiſit, & Ieſum innocentem tradidit morti crucis. *Matth.* 27. Peruerſum iudicium dederunt magiſtratus, qui Paulum, qui puellam liberauerat à dæmonio, ad petitionem quæſtuariorum fecerunt virgis diuerſimode flagellari, vt habetur *Actor.* 6.

CAPVT *LXXIV.*
De Iuramento hominum.

Iurant homines promiſsiones fidelitatis:
Conuentiones ſocietatis:
Aſſertiones veracitatis:

Punitiones iniquitatis,
Peruersiones temeritatis.

IVrare possunt homines licite seruare promissa, cum firma fiducia. Sic Abraham iurauit Abimelech ad requisitionem eius, quod non noceret ei. *Genes.* 22. Flente Dauid mortem Absalon, iurauit ei Ioab, quod si non desisteret à fletu, ipse & omnis populus relinqueret eum. Hæc promisit, vt eum ad consolationem reduceret. 2. *Regum* 19. Dauid Bersabeæ matri Salomonis quod Salomon regnaret post eum, 3. *Regum* 1. Iurant homines licite conuentiones societatum, matrimoniorũ, & amicitiarum firmas seruare. Sic Jacob & Laban iurauerunt fœdus simul. *Genes.* 31. Moyses iurauit vt habitaret cum Iethro, & acciperet filiam eius in vxorem. *Exod.* 2. Pie iurauit Heliseus non derelinquere Heliam, donec posset secum esse. 4. *Reg.* 2. Pepigit fœdus amicitiæ Ionathas cum David, & iurauerunt ambo. 1. *Regum* 20. Iurant homines asserendo veritatem, vt fides magis adhibeatur. Sic Christus in pluribus locis veritatem affirmans, dicebat: *Amen, amen. Matth.* 5. Item Paulus propter hanc causam multotiens in suis epistolis iurasse legitur, dicens: *Deus & Pater Domini mei* IESV CHRISTI *scit, quia non mentior. Ad Galat.* 1 Et alibi: *Testis est mihi Deus, cui seruio. Rom.* 1. item 2. *Corinth.* 11. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Propter hanc causam consueuerunt mendaces sua mendacia iuramento firmare, vt scil. maior

ior fides adhibeatur eiſdem, quibus quãtum plus iurauerint, fides minor eſt adhibenda; ſic iurauit Petrus mẽtiendo ſe Christum nullatenus cognouiſſe. *Matth.26.* Mendaciter & cum fraude iurauit Antiochus ſe pacem tenere, vt crederent. 1. *Machab.6.* Iurant aliquando homines ſiue iudices & Principes, malefactores punire, humana vel diuina ſententia. Sic Rex Salomon audita petitione peſſima Adoniæ, ſcilic. quod volebat vxorem patris ducere, iurauit quod occideret eum. 3. *Reg.*2. Dixit Helias ad Achab regem peſſime operantem: *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto: Si erit annis his ros vel pluuia, niſi iuxta verbum meum.* 3. *Regum* 17. Audita parabola *D*auid de homine, qui tulit ouem pauperis, iurauit quod ouem in quadruplum redderet, & filius mortis eſſet. 2. *Reg.*12. Iurant aliqui temerè aliquid facere, quorum iuramentum peruerſum & peruerſiſſimum eſt obſeruare. Sic iurauit Dauid deſtruere Nabal & omnia quæ habebat. 1. *Reg.*25. Benadab rex Syriæ indignatus ad reprehẽſionem iurauit, ſi ſufficeret, &c. 3. *Reg.*20. Simile iuramentum fecit Iezabel, quod occideret Heliam 3. *Reg.*19. Nabuchodonoſor iurauit per thronum ſuum, quod vindicaret ſe de filijs Iſrael. *Iudith.*1. Male iurauit & peſſime ſeruauit iuramentum Herodes, dare ſaltatrici quicquid volebat, & conceſſit ei caput ſanctiſſimi Ioannis Baptiſtæ. *Marc.*6. *Matthæi* 14.

Capvt LXXV.

De Iustitia & Æquitate.

Iustitia recta est: si promerentibus singula reddantur:
Si bona consequentia bene diuidantur:
Si aliquando indigentibus, preciis emantur:
Si delinquentibus, æque mensurantur.

IVstitia & Æquitate redditur vnicuique quod suum est: & hoc initium habet à Deo, secundum Psalm. *Reddet vnicuique secundum opera sua.* & secundum Ambros. *Iustitia communis est virtus reddens vnicuique quod suum est.* Ideo dixit Iacob ad Laban: *Respondebit mihi cras iustitia mea. Genes.* 30. Testimonia Dei instanter petierunt filiæ Salphat, quorum de iure erat hæreditas, cum in hæreditate paterna Moysi succedere petierunt. *Numer.* 27. Dixit Dauid Saul: *Dominus retribuet vnicuique iustitiam suam.* 1. *Reg.* 26. Iustitia seruari debet in diuidendo communia, & communicando diuisa: in diuidendo, maior debet diuidere, & minor debet eligere. Sic Abraham volens se separare à Loth, dedit ei optionem vt eligeret vnam partem quam vellet. *Genes.* 13. Constituit Dauid, & quasi habitum est pro lege, quod æqua esset portio euntium ad bellum, & remanentium ad sarcinas 1. *Regum* 30. Iustitia exigit; vt qui indiget, aliena non furtiue, nec violenter accipiat, sed congru-

enti

enti pretio emat. Sic Dauid noluit accipere aream gratis quam volebat à Iebuſeo, ſed ipſam iuſto pretio comparauit. 1. *Paralip.21.* & 2. *Regum* 24. Audiens Tobias hœdum balantem, dixit: *Videte ne furtum ſit.Tob.2.* Iuſtitia exigit vt malis retribuatur eadem menſura, etiam in præſenti, qua & ipſi alijs retribuerunt. Et ideo iuſtum eſt, vt non pereat iuſtus cum impio, vt Abraham dixit. *Geneſ.*28. Adonibozeth iuſte amputatæ ſunt manuū ſummitates, ſicut ipſe amputauerat ſeptuaginta Regibus, vt habetur *Iudic.1.* Agag qui ſine liberis fecerat mulieres, remanſit ſine liberis mater eius. 1. *Regum 15.* Superbus Amon ſuſpenſus eſt in eodem patibulo quod ipſe parauerat Mardochæo. *Heſter.7.* Hoſtes Iudæorum eadem die occiſi ſunt qua ipſi Iudæos occidere decreuerant. *Heſter 9.* Viri qui Danielem fecerunt mitti in lacum leonum: miſſi ſunt in eundem & deuorati ſunt. *Daniel.*14. Duo Senes qui voluerunt iniuſte occidere Suſannam, à populo interfecti ſunt. *Daniel.*13. In eodem loco in quo Andronicus occiderat Oniam, fecit eum eunuchus occidi. 2 *Machab.*4. Iaſon qui multos interfectos inſepultos abiecerat inſepultus abiectus eſt. 2 *Mach.5.* Antiochus blaſphemus & homicida peſſimo vlcere interfectus eſt. 2. *Machab.9.* A ſeruo nequam qui noluit conſeruo dimittere repetijt Dominus debitum iam dimiſſum. *Matth.* 18.

Capvt LXXVI.

De Iuſtis inter peccatores latentibus.

Iuſti inter peccatores inueniuntur caſte viuentes cum luxuriantibus,
Fide feruentes, cum idololatrantibus,
Innocentes cum malignantibus,
Viri clementes cum iniuriantibus.

IVſti inuēti ſunt inter luxurioſos caſte & honeſte viuentes; quod magnum eſt: Nam quando omnis caro corruperat viam ſuam, dixit Deus ad Noe; *Te enim vidi iuſtum coram me. Geneſ. 6.* Loth caſtus & continens tunc habitauit in medio Sodomorum luxuriæ deditorum. *Geneſ.* 19. Ioſeph in Ægypto caſtam duxit vitam cum muliere adultera & laſciua. *Geneſ.* 39. Suſanna iuuenis fuit in Babylone caſtiſſima, vbi ſenes inuenti ſunt impudici. *Daniel.* 13. Iuſti inuenti ſunt fideles & Dei cultores inter infideles & idololatras. Sic in terra Madian infidelium paganorum apparuit Dominus Moyſi fideli cum oues paſceret in deſerto. *Exod.* 3. Credebat Helias ſolū eſſe ſe fidelē inter idololatras, & tamen audiuit à Domino: *Reliqui viri ſeptem millen illia qui non curuauerunt genua ſua ante Baal.* 3. *Reg.* 19. Mardochæus ſolus alijs adorantibus Amon, ei diuinos honores impendere recuſabat. *Heſter.* 3 Ezechieli dixit Deus: *Incredu-li & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.*

tas. Ezech. 2. Daniel & focij eius habitauerunt inter idololatras Chaldæorum, adorantes Dominum Deum suum. *Dan.* 3. Matathias cum filijs & cum paucis suis alijs tẽpore Antiochi inuẽti sunt fideles. 1. *Machab. cap.* 2. De fide centurionis dixit Christus: *Non inueni tantam fidem in Israel. Matth.* 8. Nicodemus inter Iudæos incredulos venit ad Iesum nocte, & credens dixit: *Scimus, quia a Deo venisti, magister. Ioan.* 3. Iusti inuenti sunt innocentes in medio impiorum. Sic Samuel cum pessimis filijs Heli nutritus, sanctus & innocens permansit vsque ad finem vitæ suæ, vt dicitur 1. *Regũm* 2. Tobias de tribu Nephtalim sub regno Samariæ, inter pessimos innocentiam seruauit. *Tob.* 1. Job de Esau & gentibus natus dicebat: *Frater draconum & socius strutionum. Iob.* 30. Hieremias inter populum peccatorem & impium seruauit innocentiam suam. *Hierem.* 42. Iusti inuenti sunt pij & misericordes inter infideles & immisericordes, qui Christum crucifixerunt, Nicodemus portauit aromata. *Ioan.* 19. Alijs petentibus crudeliter vt Christus crucifigeretur, Ioseph pie petijt vt Christus sepeliretur. *Matth.* 27. Gamaliel Legis doctor inter Pharisæos, pium dedit consilium pro Apostolis. *Actor.* 5. Cornelius erat in Cæsarea cum omni domo sua inter crudeles religiosus & timens Deum, & faciens eleemosynas. *Actor.* 10.

CAPVT LXXVII.

De Lachryma & Fletu.

Lachrymantur & plorant homines pro dolorum demonstratione:
Gaudiorum promulgatione:
Cupitorum expectatione:
Propriorum auscultatione:
Miserorum ex compaßione:
Peccatorum obstinatione:
Flagellorum supportatione:
Petitorum in oratione:
Amicorum separatione:
Inuidorum indignatione:

LAchrymantur & plorant aliquando homines ex tristitia & dolore, de morte carorum amicorum, beneficorum & propinquorum. Sic fleuit Agar nolens videre filium suum morientem. *Genes* 21. Venit Abraham vt plãgeret Saram vxorem suam iam defunctam. *Genes.* 23. Planxit Iacob, multo tempore credens Ioseph filium suum à bestijs deuoratum. *Genes.* 37. Planxit Dauid super mortem Saul & Ionathæ, & aliorum occisorum in bello. 2 *Regum* 1. Dauid & omnis populus planxit super Abner, quem Ioab proditiose occiderat. 2. *Regum* 3. Fleuit Dauid super morrem Absalon filij sui, licet se fuerit grauiter persecutus. 2. *Regum* 18. In morte Mathatiæ & Iudæ Machabæi & Jona-

Jonathæ, factus est fletus magnus. 1. *Machab*. 2. 9. *&* 13. Occisis pueris ab Herode, impletum est illud: *Vox in Rama audita, est ploratus & vlulatus Rachel, &c Matth*. 2. Lachrymas fundunt & plangunt aliquando homines econuerso, præ gaudio quod habent de aliquo. Sic eleuata voce fleuit Iacob, cognita Rachel consobrina sua. *Genes*. 29. Esau videns fratrem suum Iacob quem diu non viderat, lachrymas non potuit continere. *Genes. cap*. 33. Commota sunt viscera Ioseph super fratre suo Beniamin, & lachrymæ erumpebant. *Genes*. 43. Ioseph vt cognosceretur à fratribus, eleuauit vocem suam cum fletu, dicens: *Ego sum Joseph frater vester quem vendidistis. Genes*. 45. Id reditu de Babylone Iudæis ædificantibus, voces lætantium, fletus videbantur. *1. Esdr*. 3. Legente Jdra verba legis, omnis populus præ gaudio & exultatione plorauit. *Neem*. 8. Raguel recognoscens Tobiam cum lachrymis osculatus est eum. similiter & Gabelus. *Tob*. 7. 8 *&* 9. Tobiæ redeunte occurrunt parentes, & ambo præ gaudio plorauerunt. *Tob*. 11. Lachrymantur & flent aliquando homines ex desiderio rei quam habere desiderant. Sic fleuit Esau pro benedictione paterna quam desiderabat præ cæteris obtinere. *Genes*. 27. Vulgus promiscuum quod descenderat de Ægypto, ex carnium desiderio fleuit. *Numer*. 11. Vociferans omnis turba fleuit, dicens: *Vtinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus in saturitate.* hoc ex desiderio carnium proce-

debat. *Numer*. 14. Moram faciente Tobia, mater eius, eũ vidit desiderans, & irremediabilibus lachrymis flebat, dicens: *Fili mi, vt quid te misimus peregrinari. Tob*. 10. Pro desiderio cœlestis patriæ dicebat Dauid: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desid*. &c. *Psalm*. 41. Pater filij lunatici, filij salutem desiderans, orauit cum lachrymis, dicens, *Domine*, &c. *Matth*. 17. *Marc*. 9. *Luc*. 9. Lachrymantur aliquando homines & flent audientes pia verba, moti quadam deuotione. Sic fleuit Ioseph, fratribus eum rogantibus vt obliuisceretur iniuriæ ab eis receptæ. *Genes*. 50. Saul audita voce Dauid multum pie loquentis, fleuit, dimissa iracundia. 1. *Regum* 24. Auditis piis verbis Naemi, ambę nurus eius non valentes lachrymas continere, leuantes voces suas vberrime flere cæperunt. *Ruth*. 1. Lacrymantur aliquando homines ex compassione quam habent ad alienas misericordias. Sic fleuit omnis populus videns in morte Moysi & Aaron Dei populum acephalum remansisse. *Deut*. 34. Planxerunt filij Israel ex compassione super filios Beniamin, quos ipsi ijdem interficerent, propter scelus commissum in vxorem Leuitæ. *Iud*. 21. Audita obsidione Iabes, filij Israel compatientes eleuauerunt voces & fleuerunt. 1. *Reg*. 11. Lugebat Samuel Saulem; quia Deum pœnitebat quod constituerat eum regem. 1. *Reg*. 15. Manducauit Tobias panem cum lachrymis super mortuum quem sepelire volebat. *Tob*. 2. Compatiens Iob afflictis dicebat: *Flebam super eum qui affli-*

*afflictus erat. Iob.*30. Hieremias compatiens dicebat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei. Hierem.*9. Flebant amici Susannæ cum viderent presbyteros aduersus eam testimonium prolaturos. *Daniel. cap.*13. Contristatus est Antiochus animo propter iniquam mortem Oniæ, & flexus ad misericordiam lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem & modestiam quam habebat, vt dicitur 2. *Machabæor. cap.*4. Ex compassione fleuit CHRISTVS & Magdalena super Lazarum defunctum. *Ioan. cap.* 11. Propter magnam compassionem quam habebat Maria ad Christum, stabat ad monumentum plorans. *Ioan.*20. Lachrymantur & flent homines ex contritione peccatorum suorum. Sic quando angelus Domini improperauit filijs Israel Dei beneficia, & eorum peccata, quæ coram Deo commiserant, clamauerunt voce magna vnanimiter, & fleuerunt, vt clare habetur *Iudicum cap.*2. Cum audisset Iosias Rex comminationes scriptas in libro Legis Domini; propter peccata scidit vestimenta sua, & fleuit: quod Deo multum placuit, vt habetur 4. *Regum cap.* 22. Fleuit Esdras & populus propter commixtionem populi Iudaici inter gentes, earum exemplo peccantis. 1. *Esdra* 9. Pro peccatis suis fleuit Dauid, dicens: *Lauabo per singulas noctes*, id est, culpas, *lectum meum. Psalm.*6. Non solum Dauid de lachrymis fecit lauacrum propter peccata sua, sed & propter

cibum

cibum & panem: ait enim; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur,* &c. *Psalm.41.* Magdalena pro contritione peccatorum ſic fleuit, quod Chriſti pedes lachrymis rigauit. *Luc.7.* Petrus poſtquam trinam negationem fecit, recognita culpa ſua, egreſſus, fleuit amarè. *Luc.22.* Lachrymas fundunt & ploratus audientes grauia mala quæ oportet eos pati in præſenti, vel vident alios eſſe paſſuros. Sic videns Dauid ciuitatem Sicelech ſuccenſam & habitatores ductos captiuos, planxerunt ipſe & populus, 1.*Regum* 30. Heliſæus videns coram ſe Azadem, cæpit flere, propter mala quæ ille facturus Iſrael erat, cum ipſe eſſet futurus Rex Syriæ, ſicut ei prophetico ſpiritu fuerat demonſtratum. 4.*Regum* 8. Cum audiſſet Mardochæus iniquam ſententiam contra Iudæos prolatam, ſcidit veſtimēta ſua, & cum eiulatu plorans, animi ſui amaritudinem oſtendebat. *Heſter* 4. Videns Eſaias amaritudinem populi ſui, dicebat: *Diſcedite à me, amarè flebo. Eſa.22.* Fleuit Suſanna inſpiciens cœlum, timens iniuſtæ mortis ſententiam. *Dan.13.* Cum Antiochus faceret cædi homines in Hieruſalem. factus eſt planctus magnus. 1.*Machab.*1. Videns Ieſus ciuitatem, fleuit ſuper illam, quoniam à Romanis erat funditus deſtruenda. *Luc.*19. Lachrymantur & plorant amici, & tenerrimè, ex quadam teneritudine cordis, quando ab inuicem ſeparantur. Sic Dauid & Ionathas, facta amicitia, cum ab inuicem diſcederet; lachrymas vberes effuderunt. 1.*Regum* 20. Cum diſce-

discederet Tobias à parentibus, parentes eius amarissime flere cæperunt. *Tob.5.* Paulus valedicens fratribus ait: *Vos scitis quod cum multis lachrymis seruiuerim. Actor* 20. Lachrymantur & plorant homines in oratione ex quadam deuotione. Sic filij Israel pugnaturi cum filiis Beniamin, coram Domino fleuerunt. *Iudic.2*. Anna fleuit largiter coram Domino pro filio quem erat petitura. 1. *Regum* 2. Fleuit Ezechias fletu magno, cum oraret vti leuaret Dominus sententiam mortis. 4. *Regum* 20. Et *Esaiæ* 8. Audiens Neemias statum miserabilem ciuitatis, pro eius recuperatione Dominum cum lachrymis exorauit. *Neem.1* Tobias cæcus audito improperio ab vxore, Deum pro recuperatione visus lachrymans postulauit, vt dicitur *Tob.2.* Populus de Bethulia auditis verbis Holofernis ab Achior qui referebat ea, Dominum exorauerunt cum lachrymis, vt eos ab eius tyrannide liberaret. *Iudith.6.* Fleuit Iudith ante lectum Holofernis, cum lachrymis orans vt Deus suum propitiaret cogitatum. *Iudith.13.* Dauid dicebat, orans *Exaudi Deus orationem meam auribus percipe lachrymas meas*, &c. *Psalm.38.* Et exclamans dixit Iudith: Conforta me Domine & statim amputauit ei caput. *Iudith.13.* Paulus positis genibus suis, cum his quibus loquebatur, orauit Dominum; magnus autem fletus factus est omnium. *Actor.* 20. Circumdederunt viduæ Petrum flentes & adorantes pro Dorca, quæ illas continue refouebat, vt dicitur *Actor.9.* Lachrymantur & plorant aliquan-

do homines inuidi de aliena felicitate, ex quadam amaritudine animi, videntes quod quibus inuident nocere non possunt. Nam postquam Amon vidit Mardochæum tam magnifice honoratum, festinauit lugens, & operto capite ingressus est in domum suam, vt habetur *Hester* 5.

Caput LXXVIII.

De Liberalitate & Curialitate.

Liberalis, largus & misericors debet esse homo,
In largiendo cum beneuolentia,
In reuerendo dignos reuerentia,
In defendendo passos violentia,
Subueniendo templis ad decentia:
Distribuendo, si est indigentia,
Restituendo sine negligentia,
In exhibendo sponsis complacentia,
In relinquendo nos allicentia,
Pro acquirendo, cum respondentia.

Liberalis largus & misericors debet esse homo in respondendo, & donando siue communicando sua, cum beatius sit dare quam accipere. Sic valde liberalis fuit Rebecca in verbis & in factis, plus offerens quam seruus Abrahæ peteret. *Genes.* 24. Grata libertas &, liberalitas tempore necessitatis. Sic Dauid gratum habuit quando Bercellai & exercitui eius necessaria detulerat. 2. *Regum* 19. Obtenta victoria de Amalechitis, Dauid liberali-

ter misit dona senioribus Iuda, vt dicitur 1. *Regum* 30. Largus donator & remunerator est Christus, relinquenti temporalia promittens æterna, tribuens centuplum in præsenti, & vitæ æternæ gloriā tribuens in futuro. *Matth.19*. Non debet liberalis procrastinare; quia qui cito dat bis dat. Sic Christus non dixit latroni, Cras mecum eris in paradiso, sed, Hodie. *Luc.23*. Liberalis debet esse homo ad honorandum homines dignos honore, & maxime ad suum hospitium venientes. Sic honorauit Moyses Iethro venientem ad se. *Exod*.18. Rex Salomon multum honorauit Bersabee venientem ad se, quando surrexit de solio; & solium fecit ipsi parari iuxta se, & quicquid peteret se facturum promisit. 2. *Reg*. 2. Rex Assuerus liberaliter & magnifice honorauit Mardocheum, quando fecit eum indui vestibus regijs, & poni super equum de sella sua. *Hester.6*. Quia Simon non recepit honorifice Christum in domo sua, Christus reprehendit eum, in comparatione ad Magdalenam, dicens: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Luc*. 7. Liberalis debet esse homo ad defendendum illos quos videt iniuriam pati verbis vel factis. Sic liberaliter egit Moyses, filiam Iethro à pastoribus defendendo. *Exod*. 2. Liberalem epistolam scripsit Artaxerxes pro defensione populi Iudæorum Esdræ Sacerdoti. *Esd*.7. Christus liberaliter defendit publicanos & peccatores appropinquantes sibi, à murmurationibus Scribarum & Pharisæorũ. *Luc*.15.

Libe-

Liberaliter defendebat discipulos à detractionibus Iudæorum & Pharisæorum. *Matth.* 12. Mariam Magdalenam defendit à sorore conquerente. *Lucæ* 1. Pharisæo murmurante. *Luc.* 2. Et Iuda, pro effusione vnguenti eam prodigam appellante. *Matthæi* 26. *Joan.* 12. Miræ liberalitatis fuit Paulus, qui seruos Philomenis fugitiuos liberauit à pœna, scribens epistolas miræ libertatis. *ad Philom.* 1. Liberales debent esse homines ad Ecclesias, Ecclesiastica seruitia, & Ecclesiasticos seruitores, bona distribuendo. Quia spiritualia recipiunt in eisdem. Sic liberales erant filij Israel, qui mente promptissima obtulerunt ad faciendum opus tabernaculi *Numer.* 7. Sic liberales fuerunt *filij Israel* ad ædificiũ, vt plus obtulerint quam necesse fuerit. *Exod.* 36. Præcepit rex Darius reædificari templum, & dari sumptus de arca regis. 1. *Esdr.* 10. Ad sacrificia Ecclesiæ debemus esse liberales. Sic Iudas pro interfectis in bello præstitit sumptus ad sacrificia. 2. *Machab.* 12. In paupere maior virtus reputatur liberalitas quã diuite. Nam duo minuta pauperculæ viduæ imposita Gazophylacio muneribus diuitum à Domino præferuntur. *Luc.* 21. *Marc.* 12. Liberalis debet esse homo pauperibus & egenis eis pro Christi amore eleemosynas largiendo. Nobilibus autem depauperatis præ verecundia mendicare nolentibus magis pium esse largum. Sic David præcepit Miphiboseth qui fuerat nepos regis quod in mẽsa sua comederet semper secum. 2. *Regum* 9. Quidam boni viri Israel capti-

captiuos vestierunt Judæos, & qui ambulare non poterant ex magna liberalitate imposuerunt iumentis. *2. Paral.* 28. Iob liberalis fuit ad pauperes, qui ait; Cor viduæ cōsolatus sum pater eram pauperum. *Iob.* 29. Liberaliter Magi Christo pauperi pānis inuoluto in præsepio stabuli reclinato munera obtulerunt. *Matth.* 2. Saluator liberaliter pauit pauperem turbam; quia non habebat quod manducaret, vt habetur *Matth.* 13. *Marc.* 8. Multum largus erat Zachæus, qui dicebat: Dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quem defraudaui reddo quadruplum. *Luc.* 19. Religiosis & prędicatoribus qui sunt pauperes Christi debent ipsi homines esse liberales, sicut Lidda purpurissa liberalis fuit Paulo prædicanti. *Actor.* 16. Audiant hæc diuites & magnates: naufragijs & periculo iactatis Paulo & socijs Barbari humanitatem maximam præstiterunt. Accensa enim pira reficiebant eos omnes propter imbrem qui imminebat & frigus, vt habetur *Actor.* 28. Liberales debent esse homines non aliena auferendo, sed restituendo ablata, & remittendo quæ de iure sua sunt. Ideo dixit Moyses regi Edom. Liceat nobis transire per terram tuam, non ibimus per agros nec per vineas: nec bibemus aquam de puteis. *Numer.* 20. Rex Cyrus remisit in Hierusalem vasa aurea quæ tulerat Nabuchodonosor pater eius 1. *Esdr.* 1. Tobias multum fuit liberalis Raphaeli quem hominem reputauit, offerens omnia quæ adduxerat. *Tob.* 11. Zachæus in hoc ma-

gnam ostendit liberalitatem, qui dicebat : *Si aliquem defraudaui, reddo quadruplum*, &c. *Luc.19.* Magna liberalitas apparuit in similitudine de seruo nequam, cui omnia sunt dimissa. *Matth.*18. Liberalis debet esse homo in matrimoniis & nuptijs, tam ex parte dantis quam recipientis vxorem. Talis fuit Raguelis liberalitas, quæ dando Tobiæ filiam suam in vxorem, dimidium suæ substantiæ dedit pro dote. *Tob. 7. & 8.* Rex Assuerus fecit magnum & liberale conuiuium in nuptijs Hester, quando eam sibi desponsauit in vxorem. *Hester.2.* Viri etiam debent esse liberales vxoribus suis. Ideo dicit rex Assuerus ad Hester : *Si dimidiũ regni mei*, &c. *Hest.5.* Magnam liberalitatem ostendit Christus in nuptiis, quando deficiente vino, aquam in vinum conuertit. *Ioan.2.* Valde liberalis fuit ille rex qui nuptias fecit filio suo, & misit vocare inuitatos ad nuptias, donec mensæ discumbentium implerentur discumbentibus. *Matth.22.* Liberales debent esse Religiosi, quando iurant religionem, ad mittendum pauperibus omnia; & nihil sibi penitus reseruare. Sic enim Christus consuluit iuueni volenti esse perfecto, dicẽs: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. & veni & sequere me*, si vis esse perfectus. *Matth.* 19. Barnabas intrans religionem vendidit agrum, & posuit ante pedes discipulorum, vt clare habetur *Actor.* 4. Male successit Ananiæ & Saphiræ præfatam religionem intrantibus, qui partem pretij sibi retinuerunt, & partem discipulis attuleruut, vt habetur

tur *Actor.* 5. Liberalis debet esse homo, si attendat remunerationem liberalitatis, & punitionem tenacitatis, etiam in præsenti. Sic Dauid de filijs Berscellai, à quibus prius beneficia receperat, fecit. Nam dicit Berscellai: *Veni, vt requiescas securus mecum in Hierusalem.* 2. *Regum* 19. Regina Saba multa attulit Salomoni, & Salomon dedit ei omnia quæ petijt 3. *Regum* 10. Iulius liberaliter recepit Paulum & socios eius, & Paulus vxorem eius ægram restituit sanitati. *Actor.* 27. Quia viri Sochot & Phanuel non fuerunt liberales Gedeoni, ab eo grauiter sunt puniti. *Iudicum* 8. Nabal in maximo propter tenacitatem suam fuit periculo, nisi largitas Abigail suppleuisset. 1. *Reg.* 25.

CAPVT LXXIX.

De Loquacitate mulierum.

Loquuntur mulieres stulte in petitionibus Et respondendo:
Persuasionibus, male consulendo:
Secreta, sermonibus exprimiendo:
In rixationibus, iurgia sequendo:
Et petitionibus, vane respondendo.

LOquuntur mulieres aliquando stulte, petendo. Nā Sara interrogata cur risisset, stulte respondit, dicens: *Non risi. Genes. cap.* 18. Stulte loquendo petunt mulieres aliquando impossibilia fieri. Sicut Rachel dicebat Iacob: *Da*

mihi liberos, quasi esset in potestate ipsius. *Gen.29.* Stulta fuit petitio matris filiorum Zebedæi: & ideo fuit à Domino reprobata, quia pro eis petebat quietem ante laborem, brauium ante cursum, coronam ante victoriam. *Matth.20.* Importuna petitio ancillæ & stulta fecit Petrum negare Christum. *Matth.26.* Multa verba stulta petendo & respondendo antequam Christum cognosceret, dixit illi mulier Samaritana. *Ioan* 4. Loquuntur mulieres valde stulte aliquando in consilijs, per se nescientes, nec à prudentibus volentes addiscere, sed solo proprio appetitui credere, & stultis aliorum consilijs assentire. Ideo Eua stulte locuta est, consulendo viro vt de fructu vetito manducaret: quia prius legitur locuta fuisse cum serpente in suggestione, quam cum Deo in oratione vel cum viro instruente, vt ab eo reciperet documentum. *Genes.3.* Vxor Amon audiens quæstionem fieri de Mardochæo, stultum dedit ei consilium, & ille stultus credidit, quando excelsam trabem parari iussit. *Hester.5.* De hac materia require plura *de consiliis malis* 132. Loquuntur aliquando mulieres stulte, reuelando secreta eis imposita, quæ continere non possunt. Ideo stultum est eis viros reuelare secreta & occulta. Nam vxor Samsonis statim quod propositum didicit à marito, in damnũ eius alijs reuelauit. *Judic.4.* Dalila sciens vbi erat secreta fortitudo Samsonis, retulit inimicis. *Jud.* 16. Loquuntur mulieres stulte, rixando cum vicinis, bonum aliquando cõuertendo in malũ. Nam quia

quia Dauid ſanctus ex magna deuotione ſaltauerat coram arca, vxor eius ironicè conuiciando dixit: *Quam glorioſus factus eſt rex.* 2. *Regum* 6. Turpiter & cum conuicijs rixabantur duæ mulieres coram Salomone pro filio viuo & mortuo. 3. *Regum* 3. Ancilla Saræ iuſte reprehenſa, rixando dixit: *Amplius non videam,*&c. *Tob.*3. Vxor Tobiæ cum rixa ei reſpondit: *Vana facta eſt ſpes tua. Tob.* 2. Vxor Iob conuiciando dicebat, *Benedic Deum & morere.* Cui Job ait: *quaſi ſtulta locuta es. Iob.*2.

CAPVT LXXX.

De Luxuria & Incontinentia.

Luxuria & incontinentia multis cauſa extitit homicidiorum,
Raro ipſi reſtitit quiſpiam bonorum,
Hanc ſectanti fit cumulus malorum,
Et in fine præſtitit pœnam commiſſorum.

LVxuria cauſa vel occaſio fuit, vel eſt homicidiorum & effuſionis ſanguinis. Nam propter violationem Dynæ Sichem & Amon cum habitatoribus ciuitatis ſunt occiſi. *Geneſ.* 34. Occaſione vxoris Leuitæ incredibili vexatæ luxuria, multi fuerunt homines interfecti. *Iud.* 20. Amon propter violationem ſororis ſuæ Thamar ab Abſalone in conuiuio fuit occiſus. 2. *Regum* 13. Dauid pulchritudine Betſabeæ captus, cum proditione homicidium, perpetrauit. 2. *Regum* 11. Quia Iſboſeth

mihi liberos,quaſi eſſet in poteſtate ipſius. *Gen.29.* Stulta fuit petitio matris filiorum Zebedæi: & ideo fuit à Domino reprobata, quia pro eis petebat quietem ante laborem, brauium ante curſum, coronam ante victoriam. *Matth.*20. Importuna petitio ancillæ & ſtulta fecit Petrum negare Chriſtum. *Matth.26.* Multa verba ſtulta petendo & reſpondendo antequam Chriſtum cognoſceret, dixit illi mulier Samaritana. *Ioan* 4. Loquuntur mulieres valde ſtulte aliquando in conſilijs, per ſe neſcientes, nec à prudentibus volentes addiſcere, ſed ſolo proprio appetitui credere, & ſtultis aliorum conſilijs aſſentire. Ideo Eua ſtulte locuta eſt, conſulendo viro vt de fructu vetito manducaret: quia prius legitur locuta fuiſſe cum ſerpente in ſuggeſtione, quam cum Deo in oratione vel cum viro inſtruente, vt ab eo reciperet documentum. *Geneſ.3.* Vxor Amon audiens quæſtionem fieri de Mardochæo, ſtultum dedit ei conſilium, & ille ſtultus credidit, quando excelſam trabem parari iuſſit. *Heſter.5.* De hac materia require plura *de conſilijs malis* 132. Loquuntur aliquando mulieres ſtulte, reuelando ſecreta eis impoſita, quæ continere non poſſunt. Ideo ſtultum eſt eis viros reuelare ſecreta & occulta. Nam vxor Samſonis ſtatim quod propoſitum didicit à marito, in damnũ eius alijs reuelauit. *Iudic.4.* Dalila ſciens vbi erat ſecreta fortitudo Samſonis, retulit inimicis. *Iud.16.* Loquuntur mulieres ſtulte, rixando cum vicinis, bonum aliquando cõuertendo in malũ. Nam

quia

quia Dauid ſanctus ex magna deuotione ſaltauerat coram arca, vxor eius ironicè conuiciando dixit: *Quam glorioſus factus eſt rex*. 2. *Regum* 6. Turpiter & cum conuicijs rixabantur duæ mulieres coram Salomone pro filio viuo & mortuo. 3. *Regum* 3. Ancilla Saræ iuſte reprehenſa, rixando dixit: *Amplius non videam*, &c. *Tob*. 3. Vxor Tobiæ cum rixa ei reſpondit: *Vana facta eſt ſpes tua*. *Tob*. 2. Vxor Iob conuiciando dicebat, *Benedic Deum & morere*. Cui Job ait: *quaſi ſtulta locuta es*. *Iob*. 2.

CAPVT LXXX.

De Luxuria & Incontinentia.

Luxuria & incontinentia multis cauſa extitit homicidiorum,
Raro ipſi reſtitit quiſpiam bonorum,
Hanc ſectanti fit cumulus malorum,
Et in fine præſtitit pœnam commiſſorum.

LVxuria cauſa vel occaſio fuit, vel eſt homicidiorum & effuſionis ſanguinis. Nam propter violationem Dynæ Sichem & Amon cum habitatoribus ciuitatis ſunt occiſi. *Geneſ*. 34. Occaſione vxoris Leuitæ incredibili vexatæ luxuria, multi fuerunt homines interfecti. *Iud*. 20. Amon propter violationem ſororis ſuæ Thamar ab Abſalone in conuiuio fuit occiſus. 2. *Regum* 13. Dauid pulchritudine Betſabeæ captus, cum proditione homicidium, perpetrauit. 2. *Regum* 11. Quia Isboſeth

reprehendit Abner, quod fuerat ad concubinas patris eius ingressus, facta est indignatio inter eos, & ambo post modicum tempus sunt occisi. 2. *Regum* 3. Propter luxuriam Herodis & Herodiadis fuit Ioannes Baptista nequiter decollatus in carcere. *Matth.*6 *Marc.*14. Luxuria nulli parcit, domesticus & familiaris hostis est; ideo multum timeri debet. Nam virtuositate deiicit potentes; sic deiecit Samsonem Dalila. *Iudic.*16. Deprimit sanctitate virentes, sic depressit Dauid Bersabea, quam lauare perspexit. 2. *Regum* 11. Decipit sagacitate prudentes. Sic decepit Salomonem per mulieres quibus adhæsit. 3. *Regum* 11. Diminuit probitate pollentes. Sic diminuit Holofernem propter Iudith quam concupiuit. *Iudith* 12. & 13. Destruit honestate & ætate senescentes. Sic destruxit duos senes, propter Susannam, eius pulchritudinem aspicientes. *Daniel.*13. Luxuriam sequuntur multa mala, & multa incongrua, propter quæ luxuriæ vitium ab omnibus hominibus, præsertim Christi famulis, detestandum est. De quibus ponimus quinque. Primum est, diuina indignatio cum seueritate. Nam causa diluuii videtur esse vel fuisse luxuria; quia omnis caro corruperat viam suam. Ideo dixit Deus ad Noe: Delebo hominem. *Genes.*6. Secundum est, diabolica inhabitatio cum impietate. Anima quæ libidini vacat, habent super eam potestatem dæmonia. Ob hanc causam petierunt dæmonia intrare in porcos, id est luxuriosos. *Matth.*8. Tertium est, cœlestis gloriæ pri-

uatio

natio ex iniquitate. Nam si vxorem quærentes seu ducentes non fuerunt digni cœna Dei, quid erit de adulteris & fornicarijs, & aliis generibus lasciuorum? *Luc.*14. Luxuriosi grauiter puniuntur in legibus à Deo. Ideo cum relatum fuit Judæ quod Thamar ex adulterio concepisset, ait: *Ducite eam ad comburendum, Genes.*38. Duo senes luxuriosi volentes Susannam opprimere, à populo sunt lapidati. *Daniel.*13. Grauiter puniuntur qui fornicantur in sacris. Nam tempore Antiochi templum fuit luxuriæ plenum, quod summo Deo displicuit, & eos graui acerbitate puniuit, vt habetur, 2. *Machab.*6. Mulier in adulterio deprehensa mandabatur à Moyse lapidari, *Leuit.*20.

CAPVT *LXXXI.*

De maledictione qua Deus maledicit.

Maledicit Deus homini;
Prauis peccatoribus, laici tenoris:
Malis sermonibus, clericalis moris.
Tardus in furoribus, est more pastorum.

MAledicit Deus laicos peccantes & alios ad peccatum inducentes. In cuius figura serpens quæ ad peccandum Euam induxerat, legitur à Domino maledicta. *Genes.*3. Sic detestatus est Deus peccatum, quod non solum peccatores, sed & alias creaturas in eorum opere maledixit. Ideo dixit Adæ post peccatum: *Maledicta sit terra in*

opere tuo. Genes.3. Et iterum: *terra es & in terram reuerteris.* Et iterum: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ecce quantam maledictionem. Peccatum homicidij & effusionem innocentis sanguinis sic Deus abhorret, vt eis specialiter maledicat. Sic maledixit Cain & terram quæ suscepit sanguinem fratris sui, *Genes.* 4. Ociosis in opere & verbosis in lingua Deus singulariter maledixit. In cuius figura maledixit ficulneam, cum foliis scilic. verborum sine fructu. *Matth.* 21. Terribilis erit illa maledictio in die iudicij, quando Dominus dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum,* &c. *Matthæi 25.* Maledicit Deus Clericis & Sacerdotibus male operantibus. Et eorum maledictio peior est maledictionibus secularium. Ideo lamentans Hieremias dixit: *Repulit Dominus altare suum, maledixit sacrificationi suæ. Threnor.* 2. Sacerdotibus male loquentibus loquitur Dominus per Malachiam dicens: *Maledicam maledicentibus vobis. Malach.* 2. Maledictionem tardat Deus tanquam misericors, sæpe expectans reconciliationem vel conuersionem peccatoris: benedictionem autem festinè & liberaliter donat. Ideo de maledictione dixit Daniel, ostendens tarditatem eius: *Stillauit super nos maledictio. Daniel.* 9. Quam autem largus sit ad benedicendum, Sapiés ostendit in Ecclesiastico dicens: *Benedictio illius quasi fluuius inundabit. Eccl.* 39.

Caput LXXXII.

De maledictione qua homo maledicit homini.

Maledictiones hominum,
Vna fugienda est, quæ est progenitorum,
Alia cauenda est, quæ est filiorum,
Tertia timenda est, si sit Prælatorum,
Quarta deridenda est, hominum malorum
Quinta ferenda est cum sorte punitorum.

MAledictio patris vel matris multum timenda est. Quia sicut benedictio firmat domos filiorũ, sic maledictio eradicat fundamenta. Ideo timere debent filij parentes offendere, ne maledicantur ab eis. Nã offenderat Cham Noe, ostẽdens eius nuditatem & deridens: vnde ipse & filij, & filij filiorum maledictionem acerbissimam incurrerunt, cum dixit Noe: *Maledictus Cham*, &c. *Gen.* 9. Per locum à contrarijs, videri potest quantum timebant Iacob & Esau maledictionem patris, qui ita erant pro benedictione soliciti. Vnde & Iacob dixit matri: *Timeo ne pater meus putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Gen.* 27. Quia Simeon & Leui contra voluntatem patris occiderunt viros Sichem, dixit Jacob pater eorum: *Maledictus sit furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. Genes.* 49. Maledicere non debent filij patri-

bus vel matribus carnalibus, nec ſubditi ſpiritualibus Patribus vel Prȩlatis: quia, vt dicitur: *Qui maledixerit, patri vel matri, morte moriatur:* quod non ſolum de carnali patre vel matre accipitur, ſed etiam de Prælato & matre Eccleſia exponitur. *Leuit.* 20. Arguebant Iudæi Paulum, dicentes; ſummum Sacerdotem Dei maledicis, ſed excuſauit ſe, eis dicens: *Neſciebam,* fratres, *quod Princeps eſſet Sacerdotum,* vt habetur *Actor.* 23. Maledictio Prælatorum & excommunicatio mala eſt & timenda, ſiue iuſta ſiue iniuſta, etiam ſi illi ſint mali. Nam maledictus erat quem Balaam maledicebat. *Numer.* 22. Seruare debemus mandata Dei & Eccleſiæ, ne maledictionem vel excommunicationem Dei incurramus. Nam multas maledictiones dedit, Moyſes tranſgreſſoribus mandatorum. *Deut.* 27. Ioſue capta Iericho dixit; *Maledictus ſit ille qui ædificat Iericho. Ioſue 6.* Saul volens perſequi Philiſtæos imprecatus eſt, dicens: *Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperas, donec vlciſcar me de inimicis meis.* 1. *Regum* 14. Inſtruendi ſunt pueri ne derideant Senes & Prælatos. Nam pueris deridentibus Heliſeum, ipſe maledixit; & duo vrſi de ſaltu exierunt & deuorauerunt eos. 4. *Regum* 2. Maledictio male viuentium, quibus ex officio non incumbit, timenda & cauenda non eſt. Sic Sichemitæ inter epulas maledicebant Abimelech *Judicum* 9. Multi obſtinati quando plura pericula patiuntur, plus maledicunt; quorum maledictio timenda non eſt. Nam obſeſſi in terra à Iuda ma-

da maledicebant ei. 2.*Machab*.10. Non fuit timẽda, ſed deridenda maledictio illa quam Phariſæi illuminato à Domino dederunt, cum maledicentes dixerunt; Tu diſcipulus eius es: quæ maledictio Dei deſcendat ſuper vos & maneat ſemper. *Ioan*.9. Maledicentes aliis ſine cauſa, maledictionibus & aliis pœnis grauibus puniuntur. Ideo dicebat Iacob benedicendo filium; *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus*, vt patet *Geneſ* 27. Goliath qui maledixit Dauid in diis ſuis, eſt occiſus ab eo. 1. *Regum* 17. Sichemitæ maledicentes Abimelech, ſunt ab eo ſimiliter interfecti. *Iudicum* 9. Semei qui maledixit Dauid fugientem, à Salomone eſt occiſus. 3. *Regum* 2.

CAPVT *LXXXIII.*

De Matrimonio.

Matrimonio iuncti debent iuris habere æqualitatem:
Vterq; iubere ad bonitatem:
Vnus cauere pluralitatem:
Ritus fouere identitatem:
Prolis tenere cauſalitatem:
His honor vere dat dignitatem:
Scire fugere carnalitatem.

MAtrimonio iuncti vir & mulier ſeu vxor, debent inter ſe habere æqualitatem. Debet enim

enim vxor viri esse socia, non domina, nec ancilla. Ad quod designandum Dominus formauit Euam de costa viri, quæ est in medio; non de capite, nec de pede; ita vt eam diligat sicut cor suum. *Genes.2.* Quilibet tamen coniugum licet æquales sint, debet alterum reuereri & obedire; nam Sara obediebat Abrahæ, vocans eum Dominum; & ipse condescendebat Saræ in omnibus quibus eum rogauerat. *Genes.18. & 21.* Propter hanc causam scilicet æqualitatem, ad matrimonium requiritur consensus vtriusque partis. Ideo dixerunt parentes Rebeccæ: *Quæramus voluntatem puellæ. Genes.24:* Et nota, quod ista æqualitas non est in sapientia animi. Nec in corporis pulchritudine, sed in æquatione voluntatum ad bonum. Ideo aliquando expedit vt vir stultus ducat vxorem sapientem; quia per eam dirigitur & saluatur, vt patet in Nabal stulto & Abigail sapiente. 1. *Regum* 25. Parentes ipsius Saræ matrimonialem regulam ei dantes, docuerunt eam *diligere maritum*: quia dilectio communis actus est, non dixerunt, *timere*; quod est seruile *Tob.* 10. Quantum ad actum coniugalem, iudicat Apostolus æquales virum & vxorem, dicens: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor.* 1. *Corinth.* 7. Matrimonio iuncti licet in multis debeant esse æquales, in agendis tamen & in consulendis vir debet esse caput, & mulier virum sequi: hoc autem volens ostendere Deus, fecit virum prius, & mulierem de viro formauit.

Genes.

Genes.2. Ob hanc causam mariti debent vxores, tanquam caput membra, dirigere: sed secreta quæ ad se pertinent, quæ nec alijs vult pandere, hæc vxori caueat reuelare, eo quod mulieres non sunt bonæ secretariæ. Nam quia Samson reuelauit secreta vxori quæ parentibus nōluit reuelare, ipsa in damnū ipsiusalijs reuelauit. *Iudic.* 14. Sicut caput præualet omnibus membris; sic vir, quantum ad vxorem, præualet omnibus filiis & consanguineis alijs; ideo dixit Helcana Annæ vxori suæ: *Melior sum tibi decem filijs.* 1. *Reg.* 1. Sicut membra seruant fidelitatem capiti; sic vxor viro seruare debet. Sic Susanna vt fidem thori seruaret, exposuit se morti. *Dan.* 13. Vtinam sic facerent nostræ modernæ mulieres. Matrimonio iuncti debent esse vnici: vir enim vnam solam debet habere: & econuerso. Ideo dixit Deus: *Erunt duo in carne vna. Genes.2.* Ante diluuium solus Lamech duas vxores habuit, qui duplex postea homicidium perpetrauit. *Genes.4.* In arca Noe tot viros quot vxores iussit Dominus reseruari, vt esset vnica vnici. *Genes.7.* Quærentibus à Christo discipulis, si liceret vxorem dimittere propter aliquam causam, & ducere aliam, Respondit, *quod Deus coniunxit, homo non separat. Matth.* 19. Matrimonio coniuncti non debent esse diuersi ritus vel sectæ; quia vnus alium ad malum cito faceret declinare. Nam ideo Ioram fecit malum & ambulauit in vijs Achab, quia filiam eius duxerat in vxorem. Ex quo apparet quod multum debent respicere ad parētes puellæ

ellæ qui ducunt vxorem, vt habetur 4. *Reg*.8. Propter hanc causam Neemias increpauit ducentes vxores aliegenas, & verberauit. *Neem*.13. Si autem alter coniugum vult facere malum, vel diuersum ritum sequendo, vel mala alia committendo, non debet alter sequi. Ideo male se excusabant mulieres translatæ in Ægyptum de idololatria, quia sic videbant facere viros suos. Ideo filii transmigrationis dimiserunt filias alienigenas quas habebant. 1. *Esdr*. 10. Matrimonium debent contrahehere viri & mulieres, non ad satietatem libidinis, sed ad Dei laudem, & ad multiplicationem prolis. Sic fecit Sara filia Raguelis, dicens: *Virum cum timore tuo & non cum libidine, Domine, consensi suscipere. Tob.3*. Dicit angelus Tobiæ; in illis qui vxores accipiunt, vt Deum à se excludant, & libidini vacent, semper habet super eos potestam dæmonium. *Tob.6*. Honestissimam causam ducendi vxorem exposuit angelus dicens: Accipies vxorem cum timore Dei & amore filiorum magis, quam amore libidinis, vt habetur *Tob.6*. Propter hanc causam noui coniugati prius deberent vacare diuino operi, quam operi coniugali. Sicut Tobias qui prima nocte, secunda & tertia docuit vxorem orare antequam coniungerentur. *Tob.8*. Ille qui se excusauit à cœna qui vxorem duxerat, non dixit; habeas me excusatum, sicut fecerunt alij, quia status eorum qui ducunt vxores, vt libidini vacent, ita fortiter eos allicit vt eos sæpe retrahat à diuinis. *Lucæ cap*. 14. Matrimonium in nouo Testamento

mento & veteri Deus multipliciter honorauit. Nam ordinem matrimonialem in Paradiso constituit, quando mulierem homini sociauit, vt habetur *Genes. cap.2.* Destruente Domino mundum per aquas diluuii, solos matrimonio coniunctos saluauit, scilicet Noe & vxorem eius,& tres filios eius cum vxoribus eorundem. *Genes.* 7. Matrem suam virginẽ voluit desponsari,vt hæreticos, qui damnant matrimonium, dicentes ipsum esse à diabolo constitutum, damnaret, & sic matrimonium commendaret. *Matth.* 1. Matrimonialibus nuptiis CHRISTVS cum matre & discipulis voluit interesse, & ibi primum manifestum miraculum operari, vt ipsum matrimonium honoraret. *Joan.*2. Cœleste & spirituale conuiuium matrimonialibus nuptiis à Domino assimilatur. *Luc.* 14. Matrimonio repugnat adulterium, quod est maximum vitium & grauiter punitur à Domino, & propter ipsum mala innumerabilia committuntur. Ideo Ægyptii magis detestantur adulterium quam homicidium. Nam Abraham timebat occidi propter Saram, ne scilicet cum esset sine viro, Pharao cognosceret eam. *Genes.*12. Propter Saram vxorem Abrahæ flagellauit Deus Pharaonem, plagis maximis. *Genes.*12. Et Abimelech per somnium exterruit comminando. *Genes.*20. Ex adulterio nati vt plurimũ sunt mali,qui male nutriuntur. Nam qui primus blasphemasse Deum legitur fuit spurius;qui postea iubente Domino fuit lapidatus *Leu.* 14. Dauid pro-
propter

pter adulterium, homicidium & proditionem perpetrauit. Ideo filium abſtulit ei Deus. *2. Reg. 12.* Herodias vt liberius cum Herode adulterio vacaret, Ioannem Baptiſtam, qui eum de hoc vitio arguebat; nequiter decollauit, vt habetur *Marc. 6. & Matth. cap* 14.

Capvt LXXXIV.

De Mendacio.

Mendaces ſolent grauiter committere tranſgreſſionem:
Sæpe præmittere deceptionem,
Mortis præmittere occaſionem.
Menti immittere proditionem,
Bonam omittere relationem,
Falſam admittere aſſertionem,
Culpæ ſubmittere conuerſionem,
Et hinc admittere tribulationem.

MEndacium eſt peccatum grauiſſimum, eo quod veritati; imo Deo qui eſt veritas & vita, opponitur. Ita namq; graue eſt mentiri, quod Iudas grauius æſtimabat mentiri quam fornicari. Ideo de Thamar cum qua ex pacto fuerat fornicatus, mittens ei hœdum, ream non inueniens, dixit: Mendacii non poteſt nos arguere. *Geneſ. cap. 38.* Propter grauitatem mendacii, non licet alicui ex quacunque cauſa mentiri, licet aliquando liceat & expediat veritatem tacere. Sic fecit Samuel dicens,

cens; *Ad immolandum Domino veni:* & tamen aliud facere principaliter venerat, & nihilominus non proponebat 1. *Regum* 16. Mendaces quærunt decipere audientes. Ideo primum mendacium fuit à diabolo persequente prolatum, scil. nequaquam moriemini, vt hominem decipiendo traheret ad peccatum; quod & fecit, *Genes.* 3. Gabaonitæ callide cogitantes, Iosue mendacio voluerunt decipere; sed ille bono vsus consilio pactum initum non fregit, sed eos vt metuerant, in seruitutem redegit. *Iosue* 9. Vir Dei qui prædixerat Ieroboam destructionem altaris, à falso propheta mendacio est deceptus. 3. *Regum* 13. Mendaces homines suis mendaciis hominem ducunt ad mortem, vt patet in præcedenti historia; vbi vir Dei deceptus mendacio fuit à leone occisus. 3. *Regum* 13. Prophetæ mendaces suaserunt Achab vt iret ad pugnam, vbi ad mortem vulneratus fuit, vt habetur 3. *Regum* 22. Verba quæ dixit Iudith Holoferni, duxerunt eum ad mortem, licet ipsa Iudith propter bonam intentionem quam habuit, excusetur. *Iudith.* 13. Pessimum mendacium inuenit Amon, vt posset interficere Mardochæum. *Hester.* 3. Mendaces multum sunt homines ad proditiones, qui vt proditiones suas valeant adimplere, pallio mendacij eas tegunt. Sic Antiochus post mendacia verba & pacifica ciuitatem plaga percussit. 1. *Mach.* 1. Rupit Antiochus iuramentum & mandauit destrui murum. 1. *Mach.* 6. Alcimus proditorie volens esse Summus Sacerdos, Iudæ mẽdaciter detrahebat. 1.

Machab.7. Bacchides & Alcimus loquentes mẽdaciter, factum aliter peruerterunt. *1.Macha.7.* Promisit *D*emetrius Ionathæ multa si liberatus esset, qui se postea alienauit ab eo .*1. Machab.11.* proditoriè Triphon mentitus est Simoni quando argentum & obsides pro Ionathæ liberatione recepit, qui postea Ionathan & filios eius interfecit 1.*Mach.13.* Mendaces vt plurimum sunt accusatores aliorum,& relatores nouorum qui semper addunt ad referenda. Sicut occiso Amnon ab Absolone fama venit quod Absolon omnes filios Regis interfecit. 2.*Reg.13.* Ab accusatoribus Pauli fuerunt multotiens multa dicta mendacia, scilicet à quæstuarijs *Act.16.* Item à quibusdam Atheniensibus. *Act.17.* Mendaces pessimi sunt testes falsi, qui suis mendacijs & assertionibus falsis multos proditoriè & iniustè faciunt condemnari Sic duo falsi testes producti contra Naboth, eum iniustè lapidari fecerunt, eum blasphemasse Deum mendaciter asserentes. 3. *Reg.* 21. Contra Susannã falsum testimonium proferentes detestabile mẽdacium protulerunt duo iniqui senes & falsi Iudices. *Daniel.* 13. Duo falsi testes qui locuti sunt contra Beatum Stephanum iniustè eum lapidari fecerunt, vt clarè patet *Act.7. Capit.* Mendaces sunt aliquandò & specialiter mulieres, excusando se à malis operibus, de quibus aliquando arguuntur. Sic excusauit se Sara vxor Abrahæ timore perterrita, dicens. *Non risi.* & mentita est. *Genes.* 18 Multa mendacia dixit Pharao Moysi se excusando

ſando nè dimitteret populũ. *Exo*. 8. *&* 10. Os illius qui mentitur occidit animã, & etiam aliquando corpus. Sicut Anania & Saphira excuſantes ſe mẽdaciter corã Petro diræ mortis ſententiã incurrerũt. *Act*. 5. Mendaciũ officioſum remuneratum eſt in præſenti non in futuro. Sic mendacium obſtetrices dixerunt Pharaoni vt filios Iſrael paruulos non necaret. *Exod*. 1. Temporaliter remunerata eſt Raab, quæ mentita eſt officiosè vt exploratores Iſrael liberaret. *Iosue*. 2. Officiosè mentitus eſt Chuſi pro ſaluatione Dauid, dicens Abſoloni: *Sicut fui cum patre, ita ero tecum*, 2. *Reg*. 16. Mentita eſt officioſè illa mulier, quæ nuncios Dauid ſub velamine abſcondendo celauit, vt habetur *Regum cap*. 17.

CAPVT LXXXV.

De Miraculis Diuinę potentiæ.

Miracula fecit Deus in cœlo cum corporibus ibi contentorum.
In Angelis minoribus, more miniſtrorum.
In igneis ardoribus, ſæpè paſſiuorum.
Aere, tenoribus perditis vaporum.
Aqua, quæ liqueribus ius dat humidorum.
Terra, quæ cultoribus fructum dat laborum.
Baſtiarum, morſibus atq; iumentorum.
Ex progenitoribus, ortu vitiorum.
Hominum ſaporibus deditis ciborum.

Hominum erroribus, incorrigendorum,
Hominum terroribus exira bellorum
Hominum doloribus carnis ægrotorum,
Hominum saporibus morti deditorum.

Miracula facit Deus in cœlo & cœlestibus corporibus; inter quæ miracula præcipuũ fuit prima creatio, quando Deus cœlum creauit in principio, & postea quarto die Solem, & Lunam, & stellas, & signa & tempora mirabiliter ordinauit. *Genes. 1.* Ita fuit mirabilis mundi creatio, quod eius notitia non potuit, nisi per reuelationem haberi. Vnde Gregorius super Ezechielem homil. 1. *De præteritis prophetauit Moyses, dicens*; In principio creauit, &c. *Non quod prædixerat futura, sed quod prædixit occulta.* Hæc Gregorius. Stetit Sol ad vocem Iosue dicentis: *Sol contra Gabaon non mouearis, Ios.* 10. Valde fuit mirabile, quod ad petitionem Ezechiel Sol decem lineis retrocessit. 4. *Regum.* 20. Stella quæ mirabiliter in Oriente apparuit, Magos ad Christum adorandum adduxit. *Matth. 2.* In passione Christi factæ sunt tenebræ, Sole mirabiliter obscurato. Quod miraculum Dionysius videns dixit: Aut Deus naturæ patitur aut mundi machina dissoluetur. *Matth. 27.* In ascensione, corpus Domini est in cœlum mirabiliter eleuatum. *Actor. 1.* Hora tertia factus est repente de cœlo sonus, & spiritus vehemens de cœlo Apostolos illustrauit. *Actor. 2.* Paulum miraculose lux de cœlo circumfulsit, & ipse voci cœlesti cele-

celeriter obediuit. *Actor*. 9. Miracula fecit Deus in Angelis & cœlestibus spiritibus, quos tanquam ministros nostros pluries in nostro seruitio deputauit. Vnde angeli Loth de Sodomis mirabiliter eruerunt. *Genes*. 19. Angelus ad locum flentium veniens, filios Israel ad pœnitentiam excitauit. *Iudicum* 2. Heliæ fatigato in itinere angelus aquam & panem subcinericium ministrauit. *3. Reg*. 19. Puero territo ostendit Heliseus currus auxiliantium angelorum. 4. *Reg*. 6. Resurgente Christo angelus Domini de cœlo descendens sepulchrum custodientes exterruit. *Matth*. 28. Apostolos in carcere sub publica custodia positos nocte angelus Domini liberauit. *Act*. 5. Liberauit miraculose angelus Petrum vinctum catenis duabus & à sedecim militibus custoditum. *Actor*. 12: de hac materia quære plura de Angelis bonis. *Cap*. 11. *per tot*. Miracula multa fecit Deus in quatuor elementis: & vt facilius à legentibus miracula prædicta valeant ordinate perquiri, de quolibet elemēto distinctè & singulariter percunctemur. Primo namque Deus miracula operatus est in elemento *Ignis*, quando filios Israel in columna ignis per noctem de Ægyptiaca seruitute perduxit, vt habetur *Exod*. 14. Helias ignem consumentem holocaustum miraculose à Domino impetrauit. 3. *Reg*. 17. Ad vocem Heliæ descendit ignis de cœlo & duos quinquagenarios deuorauit, 3. *Regum* 1. Ignis egressus à Domino super Sodomam & Gomorram, ciuitates & homines submergendo,

 deuasta-

deuaſtauit. *Gen.* 41. De thuribulo impiorum ignis egreſſus multos incredulos concremauit. *Numer.* 16 Dignum memoria fuit illud, quod tres pueri in camino ignis ardentis ludentes & benedicentes Deum, illæſi & incolumes perſiſtebant. *Daniel. cap.* 3.

Miracula multa fecit Deus in Aere, & vaporibus exiſtentibus in eodem. Nam egreſſos filios Iſrael de Ægypto, Dominus in columna nubis per diem protegendo præceſſit. *Exod.* 14. Leuauit Moyſes manum in aere, & facta eſt grando qualis nunquam fuit in terra Ægypti. *Exod.* 9. Pugnantibus quinque Regibus contra Ioſue, facta eſt grando ſicut lapides corruerunt ſuper eos. *Ioſ.* 10. Orãte Helia, annis tribus & menſibus ſex aer pluuiã non emiſit. 3. *Regum* 17. Iterum eo orante, venit ex aere pluuia ſuper terram. 3. *Regum* 18. Pulchrum miraculũ oſtendit Deus tribus diſcipulis in transfiguratione ſua, quando loquente Domino, eos nubes lucida obumbrauit, *Matth.* 17. *Marc.* 9. *Luc.* 9. Miracula multa fecit in elemento Aquæ quando Firmamentum fecit in medio aquarum, ſuperiores ab inferioribus diuidens, & poſtmodum ex aqua reptilia & volatilia producens, piſces in aqua, aues in aere collocauit. *Geneſ.* 1. Cum Deus aquis diluuij tangeret omnem terram, Noe cum filijs & vxoribus in arca ſuper aquas miraculoſe ſaluauit. *Geneſ.* 7. Satis fuit magnũ miraculum, quod Dominus aquas Ægypti conuertit in ſanguinem. *Exod.* 7. Magna valde miracula operatus eſt quan-

do mare diuisit, & aquæ steterunt pro muris à dextris & à sinistris, donec filij Israel libere transierunt, vt habetur *Exod.* 14. Per lignum ostensum sibi à Domino, Moyses amaras aquas subito dulcorauit. *Exod.* 15. Aquam de petra durissima sitienti populo Deus miraculosè produxit. *Exod.* 17. Ingressi filij in Iordanẽ, & aquæ superiores steterunt, interiores vero in mare mortuum descenderunt, & sic ipsi per arentem alueum transierunt. *Ios.* 3. Helias suo pallio tangens aquas Iordanis & ipsas diuidens, libere pertransiuit. 3. *Reg* 2. Heliseus Dei potentia fecit illud idem miraculum, aquas Iordanis similiter diuidendo 3. *Reg.* 2. Fecit idem Heliseus natare ferrum grauissimum super aquas 4. *Reg.* 6. Tempestate in mari Domino dormiente, ad eius imperium mare quieuit, vt habetur *Matth.* 8. Ad præceptum Domini discipuli rete mittentes in mare, plenum magnis piscibus extraxerunt. *Ioan.* 21. *Luc.* 5.

Miracula multa operatus est, Deus in elemento Terræ, quando animalia produxit ex ea, & hominem de eius limo. *Genes.* 1. & 2. Grande & terribile miraculum fuit, quando terra se aperuit, & Dathan, & Abiron murmurantes subito deglutiuit. *Numer.* 16. Non fuit paruum miraculum quando illi de Nazareth ira repleti, præcipitare Dominum voluerunt, cum inter eos ambulans, se abscondit: & secundum Bedam, terra & lapides cedentes corpori, eius imaginem tenuerunt impressam. *Luc.* 4. In passione Domini terra mota

eſt,& Petræ ſciſſæ ſunt,& aperta ſunt lapidea monumenta, *Matth. cap.*27. Reſurgente Domino, factus eſt terræ motus,cuius timore exterriti ſunt cuſtodes. *Matth* 28. Paulus & Silas dum eſſent in carcere, terræmotus factus eſt, & vincula ſunt ſoluta,vt habetur *Actor.*16.

Miracula fecit Deus in animalibus ferocibus, ſylueſtribus , & alijs pluribus , contra naturam ipſorum mirabilia operando. Nam Balaam cum iret ad maledicendum populo Dei, fuit ab aſina quam ſtimulo feriebat redargutus. *Numer* 22. Ad Heliam profugum à facie Iezabelis, corui panes & carnes quotidie deferebant. 3. *Regum* 19. Danieli poſito in lacu leonum,leones miram manſuetudinem oſtenderunt *Dan.*6. & 14. Piſcis qui Ionam eiectum deuorauit, poſt triduum reſeruauit, incolumem ipſum euomendo. *Ion.*2.

Miracula multa Deus operatus eſt in hominibus & hoc multipliciter ſecundum multiplicem ſtatum hominum , in quibus eſt miracula operatus.

Et primò in natiuitatibus,miraculosè homines producens. Sic miraculosè natus eſt Iſaac, per repromiſſionem à Domino reuelatam. *Gen.*18. & 21. Samſon miraculosè concipitur, dum eius Conceptus parentibus ab Angelo nunciatur. *Iudic.*13. Filius mulieris Sunamitis fuit à Domino per Eliſeum precibus impetratus. 4. *Regum* 4. Angelus Domini qui apparuit Zachariæ Ioannem naſciturum miraculosè nunciauit. *Luc.* 1.

Mirum

Mirum & dulce valdè miraculum, quod Christus & Deus & homo est conceptus & natus de Virgine. ad quod quidem miraculum annunciandum Ioannes in vtero matris exultauit, vt clarè habetur. *Luc.* 1. Miracula fecit Deus in hominibus eos cibis & potibus nutriendo, & alia quæ ad vitam corporis pertinent largiendo. Ideo enim Deus vniuersorum lignorum fructus homini in paradiso tradidit ad vescendum, & lignum vitæ in medio, vt pomum vetitum derelinquens, & fructum comedens ligni vitæ, viueret in æternum. *Genes.* 1. Dedit Dominus populo coturnices & manna ad manducandum, & aquam similiter ad bibendum. *Exod.* 16. *&* 17. Misit Deus carnes in abundantia, carnes petentibus in deserto. *Numer.* 11. Quadraginta annis duxit Deus filios Israel per desertum, & non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta eorum vetustate consumpta. *Deut.* 8. Præparauit Dominus cibum esurienti Heliæ per viduam Sareptanam, cui farina hydriæ nō defecit, nec lecythus olei est diminutus. 3. *Regum* 17. Per Heliseum augmentauit Dominus oleum mulieri debitis obligatæ. 4. *Regum* 4. Deficiente vino in nuptijs, aquam in vinum conuertens, primum miraculum est Dominus operatus. *Ioan.* 2. De paucis panibus & piscibus Saluator multa milia populi duabus vicibus satiauit, & multas fragmentorum reliquias, quæ superauerant, Apostoli collegerunt. *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Ioan.* 6. *Luc.* 9.

Miracula multa operatus est Dominus in omnibus peccatoribus, eos diuinis miraculis corrigendo & puniendo. Nam quia omnis caro corruperat viam suam, homines aqua & diluuij inundatione purgauit. *Gen.*2. Peccatum superbiæ turrim ædificantium DEVS linguarum confusione puniuit. *Genes.*11. Propter punitionem Chore & complicum eius fuerunt multa mirabilia perpetrata. *Numer.*16. & 17. Propter arcam captam puniens Dominus Philistæos multa est miracula operatus, 1. *Regum* 4. 5. & 6. Exercitum regis Syriæ nequiter operantem Dominus cæcitate percussit, 4. *Regum* 6. Heliodorus volens spoliare templum, miraculosè fuit acriter verberatus, 2. *Machab.* 3. In figura hominum, sine fructu bonorum operum, maledixit Dominus ficulneæ, & fuit subito arefacta. *Matthæi* 21. Elimam magum resistentem Apostolis, Paulus priuauit lumine oculorum, *Actor.*13. Cum quidam in nomine Domini & Pauli deriuise dæmonem adiurarent, ipse insiliit contra eos, *Actor. cap.*19.

Miracula plura fecit Deus hominibus, bellis & terroribus vexatis ab alijs, eos defendendo, & alios opprimendo. Nam post septem circumitus muri Hiericho funditus corruerunt. *Ios.*6. Ionathas & armiger eius percusserunt tot homines quod factum est miraculum, & turbata sunt castra, 1. *Reg.* 14. Magnum fuit mirum quod Dauid Philistæum in funda & lapide superauit, vt habetur 1. *Reg.* 17. Obsidente Hierusalem rege Senacherib, centum-

octoginta

octoginta quinque millia hominum ſunt percuſsa *4.Reg.*19. Aduerſarii Ioſaphat in ſeipſos conuerſi, mutuis ſe vulneribus conciderunt. 2. *Paralip.*20. Propter auxilium datum à Domino, 120000. hominum perierunt, qui omnes à Iuda Machabæo & eius fratribus fuerunt in bello interempti. 2. *Machab.*8. Miracula fecit Deus in hominibus dolentibus & infirmis, quacunque fuerint infirmitate detenti. In cuius figura percuſſi ſunt filij Iſrael à ſerpentibus, & per ſerpentem æneum (qui Chriſtum ſine veneno peccati peccatoribus ſimilem figurabat) à doloribus liberati. *Numer.*21. Heliſęus Naaman leproſum in Iordanis flumine ſeptena lotione ſaluauit, *4.Reg.*5. Tobias quatuor annis cęcus felle piſcis miraculosè eſt per angelum liberatus, *Tob.*11. Chriſtus multos ægros ſanauit varijs & diuerſis languoribus. Nam duos leproſos curauit: vnum dæmoniacum: decem leproſos, cum ingrederetur quoddam caſtellum, de quibus vnus ſolus reuerſus dedit laudẽ Deo, *Luc.*17. Dæmoniacos Chriſtus liberauit, de quorũ vno patet *Matth.* 9. de altero *Matth.*12. *Luc.*11. de vno alio, *Matth.*17. *Marc.*9. De alio ſcil. cæco ſecus viã, habetur *Marc.* 10. *Luc.*4. De infirmis in genere, inter quos cæci *Matth.*15. De Magdalena legitur eieciſſe ſeptem dæmonia, id eſt, ſeptem peccata mortalia. *Marc. vlt.* Singulariter vndecim infirmos ſanauit, ſc. ſocrũ Petri à febribus. *Matth.*8. Paralyticum per tectum demiſſum. *Matth.*9. Hydropicum, *Luc.*14. Habentẽ manum aridam, *Marc.*3. Languidum ad piſcinam,

Ioan.

Ioan.5. Incuruatam mulierem, *Luc.13.* Seruum centurionis, *Matth.8.* Filium reguli qui incipiebat mori, *Ioan.4.* Mulierem fluxum ſanguinis patientem, *Matth.9. Marc.5.* Et Malchum ſeruum principis Sacerdotum, cui Petrus auriculam amputauit, *Luc.22.* Petrus ſanauit Claudum, *Actor.3:* Et paralyticum iacentem in lecto, vt habetur *Actor.9.* Vmbra Petri ſanauit infirmos, *Actor.5.* Et Philippo prædicante multi ſanati ſunt, *Actor.8.* In ciuitate Liſtris Paulus claudum ex vtero matris ſanauit, *Actor.14.* Puellam à ſpiritu Pythonico liberauit, *Actor.16.* Sudaria & veſtes Pauli languores curabant, vt habetur *Actor.19.* Miracula facta ſunt virtute diuina ſuper hominibus mortuis, eos ſuſcitando. Sic Helias filium mulieris matrisfamilias, ſuæ hoſpitæ à mortuis ſuſcitauit. *3.Regum* 17. Heliſeus filium Sunamitis ſuſcitauit à mortuis, quem ei ſuis precibus impetrauit. *4. Regum* 4. Oſſa defuncti, Heliſei tangens defunctus, protinus, exurrexit, *4.Regum.13.* Saluator noſter tres mortuos ſuſcitauit, ſcilicet filiam Archiſynagogi in domo patris, *Matth.9. Marc.5.* Filium viduæ extra portam delatum. *Luc.7.* Et Lazarum quadriduanum mortuum & fœtidum. *Ioan.11.* In paſſione Domini inter alia ſigna miraculorum multa corpora Sanctorum ſurrexerunt. *Matth.27.* Ipſe etiam Saluator mirabiliter ſurrexit à mortuis, ianuis clauſis diſcipulis apparendo. *Ioan.20.* Petrus vocauit Thabitam mortuam, & illa aperuit oculos, & reſpondit, vt habetur *Act.9.* Cum

9. Cum Paulus prædicaret, cecidit de fenestra tertij cęnaculi adolescens, & subleuatus est mortuus, ad quem descendens Paulus, eum in nomine Domini nostri Iesu Christi suscitauit. *Actor.* 20.

CAPVT LXXXVI.

De Morte in communi.

Mortis euentus ex peccato orbem introiuit,
Vita carnis deditus, timet homo dum viuit,
Sed virtute præditus, ipsum acquisiuit,
Quem pressuræ deditus, valde concupiuit.

MOrtis sententiam homo per peccatum incnrrit, quod diabolus motus inuidia procurauit. Inuidia enim diaboli mors introiuit orbem terrarum. *Sapient.* 2. Non solum secundum corpus, sed & secundum animã homo moritur per peccatum. Nam dictum fuit homini à Deo; *Quacunque hora comederitis*, id est, mandatum transgressi fueritis, *morte moriemini. Genes.* 2. Ideo longa vita videbatur esse custodia legis. vnde longæuo viuetis tempore. *Deuter.* 5. Ob hanc causam, ob memoriã quod patres nostri peccauerunt & mortem incurrerunt, post destructionem vitæ cuiuslibet ante diluuium mortuus est. *Genes.* 5. Mors timenda est secundum carnem, cum sit finis omniũ terribilium. Non enim patres antiqui mortem timebant ex ratione horribilitatis eius, tamen quia non potuerunt cœlum ascendere donec Saluator veni-

veniret,& qui aperiret ianuam paradiſi. Ideo Loth timuit montem aſcendere, ne forte apprehenderet eum malum & moreretur.*Geneſ.*19. Quamuis Moyſes ſeruus Domini vellet Domino in omnibus obedire,tamen videtur quam libenter diutius vixiſſet ſi Dominus voluiſſet. Vnde dicitur: *Iratus eſt Dominus contra Moyſen, &c.* Vnde ait Moyſes: *Ecce morior in hac humo. Deuter.*4. Ezechias bonus & iuſtus,audita mortis ſententia ab Eſaia Propheta, lachrymabili oratione prolongationem vitæ à Domino exorauit *Eſa.*38. Hieremias Ezechiam rogauit,ne eum occideret, & ſimiliter ne in carcere moreretur.*Hierem.*38. Ante aduentum Spiritus ſancti, Apoſtoli mortem timebant. Nam omnes fugerunt,*Matth.*26. Ideo quilibet Chriſti fidelis naturalem mortem timere debet, propter aliqua accidentia in morte. Mors bona & in bono ſtatu hominis appetenda eſt. Vnde aliquando mali deſiderant bene mori,ſicut ait Balaam:*moriatur anima mea morte iuſtorũ. Num.*23. Tobias iuſtus deſiderabat mortem, dicens: *Pracipe in pace deponi ſpiritum meum.Tob.*3. Apoſtoli ſic ſunt poſt aduentum Spiritus ſancti confirmati,vt mortem & verbera non timerent. Vnde legitur in Act. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii,quoniã digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati,&c. Act.*5. Deſiderabat Paulus mortẽ cum dicebat: *Non ſolum ligari,ſed & mori. Act.*21. Et;*Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ad Phil.* Mortem deſiderãt homines cum aliquas graues ſuſtinent paſſiones, vt ab eis citius eruantur.

Sic

Sic Elias ſedens ſub Junipero quem perſequebatur Ieſabel, petijt vt moreretur. *3.Reg.* 29. Poſt contumeliam ab ancilla receptam Sara dixit. *Peto Domine vt de vinculo improperii huius eripias me. Tobiæ* 3. Poſt mortem crucis quam Saluator ſuſtinuit, oſtendit quod non ſolum mortem ſed omne genus tribulationis & mortis chriſtianus debet ſuſtinere libenter. *Matth.* 27. Quamuis Paulus vitaret inſidias & de ciuitate in ciuitatem fugeret perſequentem non timore mortis hoc fecit, ſed furori cedens, vt exemplum præberet, & ſic ſe vtilitati plurimorum reſeruauit. *Act. per totum.*

CAPVT LXXXVII.

De Morte horrenda malorum & Homicidarum.

Morte horribili moriuntur homicidæ, rancoroſi, ſanguinem fundentes.
Tyranni malitioſi bonos deprimentes:
Homines luxurioſi & laſciuientes:
Et ſacra lege exoſi, bona rapientes:
Patri non exequioſi, nec obedientes:
Vtriq; pernicioſi, mala ſuadentes:

MOrte Horrenda moriuntur homicidæ aliorum ſanguinem fundentes. Sic Cain, qui fratrem ſuum occidit, fuit à Lamech poſtea interfectus, & miſerabiliter mortuus eſt, vt habetur *Geneſ. cap.* 4. Pharao qui ſubmergi fecerat pueros

Hebræ

Hebræorum in mari cum exercitu suo est submersus. *Exod.14*. Adoniboseth qui manuum summitates & pedum præciderat alijs, similiter ipse est præcisus. *Iudic. 1.* Zebee & Salmana, qui fratres occiderant Gedeonis à Gedeone similiter sunt occisi *Judic.8*. Abymelech qui septuaginta fratres occiderat super lapidem, fuit à fæmina percussus & occisus *Judi. 9*. Adolescens qui se dixerat Saul occidisse fuit Dauid iussionibus interfectus. 2. *Reg.* 4. Latrones qui occiderunt Isboseth fuerunt à Dauid interempti cui crediderunt placere *Reg.* 4. Ioab, qui duos viros proditoriè occiderat, fuit Salomonis imperio interfectus. 3. *Reg. 2.* Zambri qui occidit Helam Regem suum post septem dies in proprio palatio se combussit. 3. *Reg.16.* Achab qui iniustè fecit lapidari Naboth canes eius sanguinem potauerunt. 3. *Reg.22.* Iesabel homicidam Jehu mandauit præcipitari, & equorum pedibus conculcari. 4. *Reg.9.* Athalia quæ omne semen Regium extirpauit, & ipsa valdè turpiter est extincta. 4. *Reg.11.*

Andronicus eodem loco occubuit occisus vbi Oniam fecerat trucidari. 2. *Macha. 4.* Morte horrenda moriuntur qui alios opprimere delectantur iniuste. nam Sisara tyrannus crudelis per manum fæminæ clauo & malleo est confossus, vt dicitur *Judi.* 4. Saul qui sic iniquè persecutus est Dauid, se ipsum proprio gladio interfecit 1. *Reg.31.* impius Benadab à seruo suo Azabele fuit Dei Iudicio iugulatus. 3. *Reg.* 20. Ioas tyrannus ingratus

qui

qui fecerat Zachariam lapidari. 2. *Para*. 24. fuit à seruis proprijs interemptus. 4. *Reg*.12. Holofernes qui multa vastauerat, fuit per manum fæminæ capite detruncatus. *Judith*. 13. Superbus tyrannus Amon qui se fecerat adorari, fuit suspensus patibulo quod fecerat Mardochæo, vt habetur *Hest*. 7. Antiochus, qui multorum viscera euulsit, est dolore viscerum interemptus. 2. *Mach*. 9. Iason qui fratrem Iudæ captiuauerat & multos expulerat peregrè est mortuus & non sepultus. 2. *Mach*. 5. Morte horrenda moriuntur luxuriosi, & maximè qui deseruiunt horrendæ Luxuriæ. nam quia omnis caro in luxuria corruperat viam suam, missæ sunt aquæ diluuij, quibus sunt mortui omnes homines super terram. *Genes*. 7. super Sodomam pluit Dominus sulphur & ignem, & subuertit nefarias ciuitates. *Genes*. 19. Filij Beniamin qui vxorem Leuitæ turpiter deluserunt, etiam crudeliter sunt destructi. *Judic*. 20. Amon qui sororem suam oppresserat, ab Absolone in conuiuio est occisus 2. *Reg*. 13. De hac materia require *Caput De luxuria* 79. Morte turpissima moriuntur qui Deum offendunt nequiter. nam Nadab & Abiu ignem alienum contra Dei voluntatem offerentes, sunt ab ignis incendio cremati. *Leuit*. 10. Blasphemus qui nomen Domini blasphemauit, à populo lapidatus est. *Leuit* 24 Chore, Dathan & Abyron, qui contra Deum & Moysen insurgebant, absorbuit terra viuos. *Numer*. 17. Goliath superbum & Deum blasphemantem, Dauid puer proprio gladio interfecit.

 1. *Reg*. 17.

1.*Reg*.17. Senacherib blasphemus in Deum, post fugã à proprijs filijs occisus est. 4.*Reg*. 19. Sedechias rebellis Deo, vidit occidi filios suos ante se, & ipse malo exitu clausit vitã suam. 4.*Reg*. 22. Alcimus Dei aduersarius, percussus & grauissimo est mortuus tormento. *1.Mach*.9. Herodes qui diuinas affectauit laudes, percussus à vermibus expirauit. *Act* 12. Morte horrenda moriuntur sacrilegi & Raptores. nam Achior qui tulit de anathemate Iericho, Diuino iudicio fuit lapidatus à populo *Iosue*.7. Lysimachus sacrilegus dignè iuxta oratorium est occisus. 2. *Machab*.4. Sacrilegus Menelaus de turri altissima fuit præcipitatus. 2. *Mach*.13. Anania & Saphira fraudantes de precio agri, quod iã erat Deo dedicatum aut deditum, Dei iudicio morte subitanea sunt perempti. *Actor*. 5. Morte horrenda moriuntur parentes qui nõ corrigunt filios suos delinquentes, & filij parentibus spiritualibus nõ obedientes vel eos in suis senectutibus deridentes. Nã quia Heli non correxit filios de eorum sceleribus, de sella cecidit & fractis ceruicibus expirauit. 1.*Reg*.2. & 4. Absolon non solum non obediens sed persequens patrem suum Dauid, capillis adhçrens quercui, fuit lancea perforatus. 2.*Reg*.18. Pueri malè nutriti qui deriserunt Helisæum, ab vrsis sunt Dei iudicio deuorati 4.*Reg*.2. Balthasar qui non fuit Exemplo patris correptus, post manus scribentis ad parietẽ fuit eadem nocte interfectus. *Dan*.5. Morte horrenda moriuntur consiliarij male suadentes mala & fal-

& falsa testificantes nam Achitofel qui contra Dauid dedit malum consilium laqueo seipsũ suspendit. 2 *Reg.* 17 Siba qui commouit populum contra Dauid, fugiens in Abela fuit decapitatus. 2. *Regũ* 20. Falsi accusatores Danielis fuerunt à leonibus deuorati *Dan.* 6. & 14. testes falsi deprehensi à puero Daniele, iustè à populo sunt occisi, vt habetur *Daniel.* 13.

CAPVT *LXXXVIIII.*

De Morte pretiosa Iustorum.

Morte preciosa moriuntur:
Innocentes moriuntur pro fide vel Iustitia:
Patienter sustinentes & sine tristitia:
Sic decenter conuincentes absq; malitia:
Sapienter Instruentes cum recta peritia:

MOrte preciosa moriuntur martyres, qui pro innocentia vel pro Iustitia vel fide sustinent passiones. Sic Abel innocens est à Cain interfectus. *Genes.* 4. Miserunt impij lapides in Zachariam filium Ioiadæ, & eum martyrem fecerunt. 2. *Paralip.* 24. Ait Iudas. *Si appropinquauit tempus nostrum, moriamur nos in veritate pro fratribus nostris* 1. *Mach* 9. Post tormenta mortuus est Eleazarus, exemplum confortationis derelinquẽs 2. *Machab.* 6. Septem fratres cum pia eorum matre morientes pro legibus, exempla similiter reliquerunt. 2. *Mach.* 7.

Pro veritate & honestate fuit Ioannes Baptista propter Herodiadem decollatus. *Marc. 6. Matth. 14.* Stephanus plenus Spiritu Sancto Iesum vidit, quando fuit à persecutoribus lapidatus. *Act. 7.* De hac morte loquitur Sanctus Augustinus *Libro 4. De Ciui. Dei* dicens: quod Deus tãtam fidei contulit gratiam, vt mors quæ vitæ cõtraria est instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam æternam. Morte preciosa moriuntur homines tribulati, suas tribulationes patienter & sine murmure tolerantes. Ideo Iob qui in ablatione rerum, perditione filiorum, & infirmitate corporis, sic omnia pertulit patienter vt in his omnibus non peccaret, post flagella centum quadraginta annis vixit & vidit filios suos & filios filiorũ vsque in quartam generationem, & mortuus est senex. *Iob 42 vel vltimo.* Lazarus pauper & plenus vlceribus mortuus, in sinũ Abrahæ ab angelis est portatus. *Luc. 16.* Qualitercumque vixerit latro, qui pependit à dextris, quia pœnam crucis patienter sustinuit, dicens: *Digna factis recipimus*, est feliciter mortuus. *Luc. 23.* Saluator noster post multas tribulationes moriens patri feliciter commendauit spiritum. *Ioann. 19.* Et oportuit pati Christum & ita in gloriam introire. *Luc. 24.* Morte preciosa moriuntur homines qui in mundo bene vixerunt. nam ille non potest feliciter mori nisi qui feliciter vixit quia secundum Augustinũ, *Mala mors non est putanda, quam bona vita præcessit.* sic ambulauit Enoch cum Deo: sic & tulit eum Deus.

Deus. *Gen.* 5. Abraham mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis *Gen.* 25. completi sunt dies Isaac, 180. annis, qui consumptus ætate mortuus est. *Gen.* 35. Aaron cum expoliasset se, vestem induit Eleazar, & obijt *Nume.* 70. Mortuus est seruus Domini Moyses, iubente Deo, & eum Dominus sepeliuit. *Deuteron.* 34. *& vltimo.* Currus & equi ignei diuiserunt Eliam ab Heliseo, Eliam felicitr assumentes 4. *Reg.* 2. Morte preciosa moriuntur homines qui cum bona cognitione decedunt, suas familias instruentes. Sicut Iacob finita instructione filiorum, collegit pedes supra lectum, & obijt *Genes* 49. Cum instruxisset Ioseph fratres vt eius ossa deportarent quando egrederentur de Ægypto ad terram promissionis, mortuus est in pace. *Genes.* 50. Dauid post instructionem filij & facta oratione, in bona obijt senectute. 1. *Para.* 29. & 3. *Reg.* 2. post admonitionem filij nepotum dixit Tobias: *Prope est interitus meus. Tob.* 14. Matathias post benedictionem filiorum suorum. appositus est ad patres suos. 1 *Mach.* 2.

CAPVT LXXXIX.

De Multitudine malorum.

Multo plures sunt peccatores & damnati quam saluati.
Aduersantes castitati verè continentibus.
Iuncti infidelitati firmiter credentibus.

Datiq; hostilitati iustè se tuentibus:

MVlto plures sunt damnati & filij Diaboli, quam filij Dei, in cuius figura plures fuerunt filij Ismaelis quam filij Isaac, *Genes.* 25. Sexcēta tria millia quinquaginta quinquè virorum numerati sunt. *Num.* 1. de quibus soli duo Caleph & Iosue terram promissionis intrauerunt. In cuius figura, maior pars filiorum Israel erat Samariæ quia decem tribus, minor autē in regno Hierusalē scilic. solæ Duæ, 3. *Reg.* 12. Multò plures sunt luxuriosi & carnales quam honesti & casti. Nam tempore diluuij solum 8. inuenti sunt honesti, scilic. Noe & vxor eius, & tres filij & vxores filiorum eius. omnis alia caro corruperat viam suam, *Genes.* 6. In cuius figura Abraham plures filios habuit de Zethura quam de Sara. *Genes.* 2. & 5. In quinquè ciuitatibus Sodomorum non sunt inuenti decem viri boni, qui carnis vitio contaminati non essent cum esset luxuriosorum maxima multitudo. *Genes.* 18. Multo plures sunt homines infideles quam fideles Deo, in temporalibus dominis, & prælatis, fratribus, & amicis. Nam inter fratres Ioseph, qui erant vndecim, duo fuerunt eum liberare volentes, ceteri procurantes eius mortem. *Genes.* 37. Moyses misit exploratores duodecim ad terram promissionis, sed tantum duo Iosue & Caleph fideliter egerunt. *Num.* 13. Plures erant cum Absolone Regnum patris vsurpante, quam cum Dauid iustè & rationabiliter regnare debente. 2. *Regum* 15. Cum in Hierusalem esset maxima multi-

multitudo, quæ clamaret dimitti Barnabam & Dominum crucifigi, non est inuentus vnus fidelis qui peteret Dominum relaxari & dimitti. *Ioan.* 19. Quidam Romani dixerunt Romæ Paulo: *Notum est nobis quod vbiq; Christianorum secta contradicitur. Actor.* 28. Multo plures sunt homines bellantes contra Iustitiam pro tyrannis, quam bellãtes secundum Iustitiam, defendentes oppressos. Nam tantus erat bellator Syriæ contra Israel Exercitus, quod puluis Samariæ non sufficeret. 3. *Regum* 20. Tantus erat exercitus Holofernis, vt sicut locustæ terram cooperuerint. *Iudith.* 2. Non remanserunt cum Iuda nisi octingenti viri, & in exercitu Bachidis & Alcimi proditoris erant viginti millia hominum pugnatorum. 1. *Mach.* 9.

CAPVT XC.

De Obedientia & Subiectione.

Obedire debet homo Deo,
Non gentibus ei oppositis,
Et præsidentibus sibi præpositis,
Suis parentibus pactis oppositis,
Factis patentibus atq; compositis,
Non deferentibus modis propositis,
Magna iubentibus sibi repositis,
Non obsequentibus malis expositis.

OBedire debemus Deo magis quam hominibus, qui nobis præcipiunt contraria ad

Datiq; hostilitati iustè se tuentibus:

MVlto plures sunt damnati & filij Diaboli, quam filij Dei, in cuius figura plures fuerunt filij Ismaelis quam filij Isaac, *Genes.* 25. Sexcẽta tria millia quinquaginta quinquè virorum numerati sunt. *Num.* 1. de quibus soli duo Caleph & Iosue terram promissionis intrauerunt. In cuius figura, maior pars filiorum Israel erat Samariæ quia decem tribus, minor autẽ in regno Hierusalẽ scilic. solæ Duæ, 3. *Reg.* 12. Multò plures sunt luxuriosi & carnales quam honesti & casti. Nam tempore diluuij solum 8. inuenti sunt honesti, scilic. Noe & vxor eius, & tres filij & vxores filiorum eius. omnis alia caro corruperat viam suam, *Genes.* 6. In cuius figura Abraham plures filios habuit de Zethura quam de Sara. *Genes.* 2 & 5. In quinquè ciuitatibus Sodomorum non sunt inuenti decem viri boni, qui carnis vitio contaminati non essent cum esset luxuriosorum maxima multitudo. *Genes.* 18. Multo plures sunt homines infideles quam fideles Deo, in temporalibus dominis, & prælatis, fratribus, & amicis. Nam inter fratres Ioseph, qui erant vndecim, duo fuerunt eum liberare volentes, ceteri procurantes eius mortem. *Genes.* 37. Moyses misit exploratores duodecim ad terram promissionis, sed tantum duo Iosue & Caleph fideliter egerunt. *Num.* 13. Plures erant cum Absolone Regnum patris vsurpante, quam cum Dauid iustè & rationabiliter regnare debente. 2. *Regum* 15. Cum in Hierusalem esset maxima

multi-

multitudo, quæ clamaret dimitti Barnabam & Dominum crucifigi, non eſt inuentus vnus fidelis qui peteret Dominum relaxari & dimitti. *Ioan.* 19. Quidam Romani dixerunt Romæ Paulo: *Notum eſt nobis quod vbiq; Chriſtianorum ſecta contradicitur. Actor.* 28. Multo plures ſunt homines bellantes contra Iuſtitiam pro tyrannis, quam bellãtes ſecundum Iuſtitiam, defendentes oppreſſos. Nam tantus erat bellator Syriæ contra Iſrael Exercitus, quod puluis Samariæ non ſufficeret. *3. Regum* 20. Tantus erat exercitus Holofernis, vt ſicut locuſtæ terram cooperuerint. *Judith.* 2. Non remanſerunt cum Iuda niſi octingenti viri, & in exercitu Bachidis & Alcimi proditoris erant viginti millia hominum pugnatorum. 1. *Mach.* 9.

CAPVT XC.

De Obedientia & Subiectione.

Obedire debet homo Deo,
Non gentibus ei oppoſitis,
Et præſidentibus ſibi præpoſitis,
Suis parentibus pactis oppoſitis,
Factis patentibus atq; compoſitis,
Non deferentibus modis propoſitis,
Magna iubentibus ſibi repoſitis,
Non obſequentibus malis expoſitis.

OBedire debemus Deo magis quam hominibus, qui nobis præcipiunt contraria ad

salutem. Vndè Matathias dixit nuncio Regis Antiochi: *Et si omnes obediunt Regi Antiocho, ego & filii mei obediemus Deo.* 1. *Mach.*2. Vnus illorum septem fratrum, qui noluerunt obedire Regi vt carnes contra præceptum Domini comederent, dixit. *Parati sumus mori priusquam transgredi legem Dei*, vt dicitur 2. *Mach.* 7. Petrus & Ioãnes principibus sacerdotum præcipientibus nè in nomine Iesu loquerentur, taliter Responderunt, dicentes: *Si iustum est vos potius audire quam Deum, iudicate. Act.*4. deinde cum arguerẽtur à principibus dixerunt *oportet obedire Deo magis quam hominibus. Act.* 5. obedire oportet Prælatis siue ipsi sint boni, siue mali, dummodo ipsi bona præcipiunt, Ideo dixit Christus. *Super cathedram Moysi sedebunt Scribæ & Pharisæi omnia quæcunq; dixerint vobis facite. Matth.* 23. Item Cornelius dixit Beato Petro quem Deus Prælatum reliquerat: *Omnes nos in conspectu tuo sumus parati obedire quæcunq; præcepta sunt tibi à* Domino. *Act.* 10. Paulus electus in socium Barnabæ, perambulabat confirmans omnes Ecclesias, & præcipiens obedire præceptis Apostolorum. *Act.* 15. Obedire debet homo parentibus, si non præcipiant quæ impediant salutem. ideo dicit Paulus: *Obedite filii parentibus vestris in Domino. Ad Ephes.* 6. *ad Colo.*2. Sic Ioseph obediuit patri, mittenti eũ ad fratres suos quamuis prius accusasset eos: ex q o timere eos poterat. *Gen.*37. Sic Dauid vnctus in Regem obediuit patri, fratribus victualia portãs. 1. *Reg.*17. Tobias iunior dixit patri: *Omnia quæ*

præ-

præcepisti faciã Pater.Tob.5.Hester obediuit in omnibus Mardochęo,sicut quãdo eam paruulam nutriebat. *Hest*. 2. Descendit puer Iesus cũ Maria & Ioseph in Nazareth, & erat sub illis. *Luc*.2. Obedire debet homo non solum lingua, sed opere. Nam magnam obedientiam promiserunt filij Israel dicẽtes. *Omnia quæ præcipit nobis Deus faciemus & erimus obedientes*, & statim postea contraria facientes: *Exod*. 24. de obedientibus verbo & non facto, siue verbo plus quam facto, proponit Saluator exemplum duorum filiorum, quorum vnus dixit se iturum & operaturum in vinea, & non iuit: alius negauit & iuit. *Matth*. 21. Obediendum est promptè, & non procrastinandum. Sic Noe spõte obediuit Domino in omnibus quæ præcepit. *Gen. 6. in fine*. Ad prælationes tamen assumpti debent quantum possunt, renuere,ex humilitate, sed ad voluntatem maioris postmodum obedire, exemplo Moysi, qui quinquies se excusauit de ducatu populi, & tamen postea hmiliter obediuit.*Exo*. 34. Filij Israel ad præceptum Domini promptè erigebant tentoria, & ad eius imperium festinè & sollicitè respondebant.*Num*.9. Citò & perfectè obedierunt illi Apostoli, qui statim relictis retibus secuti sunt Saluatorem. *Matth*.3 Simile etiam legitur de Matthęo qui relictis omnibus secutus est eum. *Matth*. 9 *Luc*. 5. Paulus audiens vocem Iesu, promptè respondit, dicens: *Domine quid me vis facere*. vt paret quia correctio& castigatio facit hominem esse obedientem ad omnia mandata.

*Act.*11. Obedire debet homo quantumcumquè mandetur ſibi difficile. Nam Abraham mandatũ circumciſionis, licet eſſet difficile non diſtulit adimplere. *Geneſ.*17. Graue erat Abrahæ de filij immolatione præceptũ, quod tamẽ niſi Deus aliter ordinaſſet ſine mora voluit adimplere. Ecce quãta obedientia *Geneſ.* 22. Hanc admonitionem fecerunt ſerui Naaman dicentes: *Si rem grandem dixiſſet tibi propheta, certè facere debuiſſes.* Vbi patet, quod confortatio valet ad obediendum. *4. Reg.* 5. Mirabilem & difficilem obedientiam impleuerũt Rechabitæ, non bibere vinum donec ædificent domum in ſempiternum, ſicut à Patre fuit imperatum, vt habetur *Hiere.* 35. Prædixerat Dominus Salomoni quod ſi eius præcepta ſeruaret, in ſempiternum ſuper Iſrael thronus eius eſſet, 3. *Regum* 8. *Et Paral.* 7. Præceptum circumciſionis licet eſſet difficile, tamẽ Saluator noſter in ſe voluit adimplere. *Luc.* 2. Obedientes, ad plenum victoriam tentationum in mundo pro mercede recipiunt, & exultationem in cœlo. Ideo dicit Salomon: *Vir obediens loquitur victoriam. Prouerb.* 21. In cuius figura quandocunque filij Iſrael ex mandato Domini pugnauerunt, pauci de multis victoriam habuerunt. *Numer.* 31. Propter hanc cauſam exemplum obedientiæ in Saluatore noſtro proponit Apoſtolus, dicens: *Factus eſt obediens patri vſque ad mortem Crucis.* Et ponit fructum obedientiæ ſequentem, dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Ad

Ad *Philip*.2. Obedire nolentes ſeu inobedientes grauiter puniuntur. Nam prima præcepti tranſgreſsio in primis parentibus grauibus maledictionibus eſt punita. *Geneſ*.3. Filij Iſrael cum contra mandatum Dei in terram promiſſionis conarentur aſcendere, & contra mandatum Domini euntes ad bellũ,fuerũt debellati. *Num*.14. Quia mandatum Ioſue tranſgreſſus eſt Achior, ideò fuit à populo lapidatus,&Ioſue & populus ex illa inobedientia in bello fuerat ſuperatus. *Ioſ*.7. Saul qui contra prȩceptum Samuelis ſacrificium obtulit,& Agag regi in pinguibus contra præceptum Domini parcere voluit,fuit à Domino reprobatus,vt habetur. 1. *Regum* 15. & 16. Dixit Dominus Salomoni,quod ſi non cuſtodiret mandata Dei, deleret de terræ ſuperficie thronum eius, vt habetur 2. *Paral*.7. Vir Dei contra præceptum Domini cũ Propheta manducans,à leone eſt interfectus. 3. *Regum* 13. Similiter perceſſus eſt à leone ille qui de mandato Domini percutere noluit vnum de filijs Prophetarum: vbi oſtenditur, quod obedientia debetur interdum etiam in his,quæ videntur ſine ratione mandari. 3. *Regum* 20. Ionas qui refugiebat Domino obedire, præcipienti vt in Niniue verbum Dei prædicaret, in mari fuit Domino diſponente ſubmerſus, *Ionæ* *cap*. 2.

CA-

Capvt XCI.

De Operante quem Deus attendit.

Operantem Respicit Deus:
Si Perfectus sit Operatione:
Si sit rectus Intentione:
Si electus executione:

Operantem diligit Deus: Primò, si sit bonus & Deo gratus nam si personā nō acceptauerit, seruitium non acceptat. Licet enim in politicis homo faciendo iustè, ostendatur instus, in gratuitis tamen non: quia qui facit iusta, est iustus, sed iusta facit, quia iustus est, secundum Chrisostomū. Non quia oculus videt acutè: sed acutè videt quia acutus est. Prius enim Deus respicit operantem, si est bonus, antequam acceptet eius opus. Cain namquè malus & Abel bonus munera ambo obtulerunt, sed Deus respexit ad Abel & ad eius munera, sed ad Cain & ad eius munera non respexit. *Genes.* 4. Mirabilia fecerunt in Ægypto Moyses & Aaron, similiter &, malefici Phraonis, sed priorum, non vltimorum miracula Deo placuerunt. *Exod.* 7. Bethzamitæ viderunt & sacrificium Deo obtulerunt, & tamen percussit eos Dominus graui plaga, quia propter peccata eorum videre arcam Domini non debebant. 1. *Reg* 6. Reprobabat Dominus sacrificium quod iusserat fieri & hoc propter offerentium prauitatem. *Esai.* 1. Operantem

rantem acceptat Deus ex intentione quam habet in operando, magis quam in opere. Cum enim opus laudabile peruerti possit ex praua intentione, vt dare eleemosinã, ieiunare, & orare propter fauorẽ vel quęstũ: malum etiam benè fieri posset ex bona intentione; vt hominem iustitia exigente occidere nam oportet operantem, & opus esse ordinatum, recta intentione. Nam secundum Ambrosium, Intentio tua operi tuo finem ponit. nã promisso à Domino Abrahæ filio, nasciturо de Sara, risit Abraham, & risit Sara sed risus Abrahæ non fuit à Domino reprehensus, quia risit ex lætitia repromissionis. sed risus Saræ ex diffidentia promissionis, vt dicitur *Genes.* 17. & 18. Talia thuribula & fortè nobiliora habuit Chore & Complices, qualia habuit Aaron, & tamen incensionem Aaron propter bonam intentionem habuit Deus gratam. Illorum verò propter intentionem pessimam, reprobauit. *Numer.* 16. Prætulit Deus duo minuta viduæ muneribus diuitum, quia puriore intentione donabat. *Lu.* 16. Desiderabat Zachæus videre Iesum pura intentione bonitatis, Ideò fuit à Domino consolatus. *Luc.* 19. Desiderabat etiam Herodes videre Iesum, & eo viso gauisus est: sed praua intentione curiositatis; Ideò de eius visione fructum quem volebat nullatenus reportauit, *Luc.* 23 Operantem attendit, si opus quod fecit, ex officio sibi incumbit alioquin si sibi vsurpat quod suum non est, non placet Deo sed displicet, nec acceptat sed reprobat tale opus. Nã

Saul

Saul expoliauit se, & tunc inter prophetas prophetare cœpit, sed parum ei profuit, quia non erat ipsius officij prophetare 1. *Reg*. 10. Oza extendit manum & tetigit Arcam ne caderet de plaustro, sed fuit percussus à Domino: quia tangere Arcam erat solum officium Leuitarum 2. *Reg*. 6. Licet offerre sacrificium, sit bonum, tamen non nisi Sacerdotibus conuenit. Ideo Ozias percussus est lepra, quia more presbyteri incensum voluit adolere. 2. *Paralip*. 26.

Caput XCII.

De Operatione bona.

Opus bonum,
Dominus amplificat magnis documentis,
Placet si ædificat locum Sacramentis,
Homines malos viuificat cum impedimentis,
Homines qualificat suis incrementis,
Homines magnificat magnis donamentis,
Quem hic non lætificat manet in tormentis.

Opus bonum placet Deo, & in quolibet statu illud præcipit, consulit: & hortatur. Ideo in statu innocentiæ posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illud. *Genes*. 2. Similiter post peccatum misit Deus hominem de Paradiso vt operaretur terram. *Gen*. 3. Laudabilia opera patrum præcepit Dominus imitari, dicēs: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. *Ioan*. 8

Pro-

Propter hanc causam dicitur: in omni gente qui timet & operatur iustitiam acceptus est illi. *Act.*16. Vt Domino placeret, Paulus mansit cum aquila. *Act.*18. Opus bonum & valde Deo acceptum est ædificare Ecclesias: cui Deus dat bonam perfectionem. Nam Salomon in modico tempore opus tẽpli maximi consummauit, 3. *Reg.*7. Filij Israel cœperunt ædificare templum antequam alia opera seu domus inchoarentur. *Neem.*2. *vsq; ad* 7. Præcepit Darius vt ædificaretur domus Dei in Hierusalem, & darentur sumptus de arca regis ne impediretur opus, 1. *Esd.*6. Opus enim bonũ habet multos impeditores. Nam opera quæ filij transmigrationis faciebãt in reditu ex Babylone, fuerũt sæpe ab impedientibus molestata. 1. *Esd.*4. Illud opus pium quod Magdalena exercuit in vngendo caput & pedes Domini Iudas cũ aliis discipulis voluit impedire. *Marc.*14.

Opus bonum manifestat hominẽ, sicut fructus manifestat arborẽ. Ideo dixit Saluator: *Attendite à falsis prophetis*, &c. sequitur; *à fructibus eorum cognoscetis eos. Matth.*7. Ipse enim dicebat de seipso: *Opera quæ ego facio in nomine patris mei facio, & illa testimoniũ perhibent de me.* Et paucis interpositis: *Si mihi non creditis, operibus credite. Joan.*10. Duo discipuli nõ cognouerunt Dñm seu Iesum, dum fuerũt cum ipso conuersati in verbis, & postmodum cognouerunt eum in fractione panis, *Luc.* 24. Opus bonum largiter remuneratur. Quia nullum bonum irremuneratum dimittit *Deus*, vt dicit *S. Augustin.*
Ideo

Ideo Ezechias qui fecit bonum coram Domino, valdè proſperatus eſt 2. *Paralipom.31.* Mereturenim opus bonum per remunerationem indulgentiam peccatorum. Nam vidit Deus opera Niniuitarum & miſertus eſt eis *Jona. 3.* Serui qui acceperunt talenta & operati ſunt in eis remunerati ſunt in duplo *Matth.25.* Propter hanc cauſam Apoſt. comparat bona opera ſemini, de quo fructus plurimus expectatur, dicens: *Qui parcè ſeminat parcè & metet. 2.Corinth.9.* Thabita propter bona quæ agebat, meruit à Petro miſericorditer ſuſcitari *Act.10.* Operari nolentes, ſed vacantes ocioſitati, grauia facinora perpetrant, & ideo reprehenduntur & grauiter & acriter puniuntur ac corriguntur. Nam tempore quo ſolebant Reges ad bella conſurgere, Dauid vacans ocio, adulterium & homicidium perpetrauit. 2.*Reg. 11.* Arguuntur à domino ocioſi, quando vocantur operarij ad mercedem. *Matth.20.* Seruus qui in vno talento noluit operari, turpiter fuit à Domino reprobatus. *Matth. 25.* Paulus reprehendit grauiter ocioſos dicens: *Qui non vult operari non manducet. 2. Theſſalon.cap.3.*

Capvt XCIII.

De Oppreſsione bonorum & malorum.

Opprimunt mali bonos:
Illis inuidentes de felicitate:

Et

Et lasciuientes in carnalitate:
Illos persequentes ex malitia:
Illos audientes, dicta veritate:

Opprimunt mali bonos, aliquando ex sola inuidia, quia vident illos feliciter prosperari Sic Cain ex inuidia præualuit in Abel, & eũ nequiter & inuidiosè opprimendo occidit. *Gen.4.* Esau inuidus, quia Iacob patris benedictionem vsurpauit, voluit eum occidere: propter quod Iacob cõpulsus est fugere ad Laban. *Genes* 28. Ægyptij inuidentes filijs Israel, quia crescebant, oderant eos, & grauiter oppresserunt. *Exod.* 1. Saul ex sola inuidia persecutus est Dauid, eò quod ipsi victoria Goliath erat asscripta. Dicebant enim. *Percußit Saul mille, & Dauid decem millia.* 1. *Reg.* 18. Saluator noster ex inuidia fuit damnatus ab Anna & Caipha & Iudæis. *Matth.* 26. opprimunt mali bonos propter suam luxuriam, quam bonis impedientibus exercere non possunt. vel quia eos de luxuriæ vitio reprehenderunt. Sic Domina cui seruiebat Ioseph quia suam concupiscentiam exercere non potuit eum opprimere falso voluit. *Genes.* 39. Sodomitæ propter luxuriam, Loth, multipliciter ei inferendo violentiam, vexarunt. *Genes* 19. Duo luxuriosi presbyteri Susannam propter eorum luxuriam nequiter opprimebant. *Daniel.* 13. Herodes propter luxuriam ad petitionem meretricis Ioannem Baptistam in carcere decollauit. *Marci.* 5. *Matt.* 14. Opprimunt mali bonos propter eorum

R super-

ſuperbiam & ambitionem dominij. Sic Abimelech ambiens principatum, fratres ſuos nequiter interfecit. *Iudi*.9. Abſolon ambiens regnum patris, ipſum eſt acriter perſecutus. 2.*Reg*.15. Amon ex ſuperbia procurauit Mardochæum occidere & Iudæos, ſed Deus aliter ordinauit. *Heſter*.3. Propter ſuperbiam, Nabuchodonoſor fecit ſtatuam auream, pueros verò non adorantes eam, fecit proijci in fornacem, & Danielem in lacum leonũ. *Daniel*.3.& 6. Triphon ob regni cupiditatem Dominum ſuum Antiochum adoleſcentem occidit proditoriè. 1.*Macab*.13. Opprimunt mali bonos ex ſola cordis nequitia & deprauatione mentis. Sic impia Ieſabel opprimebat Eliam Prophetam. 3.*Reg*.19. Rex Ioram audiens famem eſſe in terra, caput Heliſei præcepit amputari. 4.*Reg*.6. Nequiſſimus Holofernes voluit Iudæos opprimere, nuper de captiuitate reuerſos. *Iudith*.2.& *ſequentibus*. Propter ſuam nequitiam Antiochus in Hieruſalem hominum cædem fecit. 1.*Machab*.1. Ex magna nequitia cordis Herodes perſecutus eſt Chriſtum, & pueros interfecit, vt habetur. *Matth*.2. Similiter Herodes Agrippa occidit Iacobum, & Petrum incarcerauit. *Act*.12. Opprimunt etiam mali bonos qui veritatem loquuntur, quam ipſi mali habent odio. Sic ab impio Ioas lapidatus eſt Zacharias, qui ipſum veriſſimè inſtruebat. 2.*Para*.44. Sic Ieremias fuit à Rege miſſus in carcerem, qui nunciauerat veritatem, *Ierem*.20. Sic Ananias falſus propheta mendacio voluit cõfundere Hieremiam

remiam prophetam verissimum, *Hierem.* 28. Principes sacerdotum incarcerauerunt Apostolos, quod veritatem Dei loquebantur. *Act.* 5. Iudæi lapidauerunt Stephanum, quia non poterant resistere, spiritui qui loquebatur, *Act.* 7. Paulus qui prædicabat publicè veritatem, multas oppressiones sustinuit à Judæis. *Act.* 13. 14. & 16.

CAPVT XCIV.

De Oratione & Deprecatione.

Orare volentes, debent attendere pro quibus inquiritur, & qui deprecatur:
Tempus quod exquiritur his qui exorantur:
Modus qui requiritur his qui postulantur:
Causam quæ perquiritur his qui exaudiuntur:
Fructus qui acquiritur & quæ dona dantur.

ORare volentes debent attendere, primò qui sint illi qui debent orare, & pro quibus faciant suas orationes. vbi notandum est, quod orare debent præsidentes singulariter pro suis subditis vel subiectis; eligentes specialiter pro suis electis; omnes gentes generaliter pro viris abiectis. Orare primò debent Prælati pro suis subditis: quia ipsorum officium est, vt suis orationibus à populo iram Dei auertant. Sic cum post adorationem vituli Deus populum vellet destruere, Moyses eorum prælatus pro eis feruenter orauit, & veniam meruit à Domino inuenire.

Exod.32. Propter orationem Moysi absorptus est ignis qui deuorabat castra murmurantium præ labore *Num.11.* Maria propter peccatum suum facta est leprosa, sed Moyses prælatus eius, orauit ad Dominũ, & restituta est pristinæ sanitati. *Num. 12.* Pro afflicto populo ignitis serpentibus orauit Moyses, & salubre remedium habuerunt. *Num. 21.* Samuel dixit ad populum: *Absit à me hoc peccatum; vt cessem orare pro vobis.* ostendens grauiter peccare prælatos qui pro suo populo non orant: *1. Regũ. 12.* Bonus Prælatus erat Paulus, qui dicebat Timotheo sibi subdito: *Sine intermissione habeo tui memoriam in orationibus meis. 2. ad Timo. 1.* Orare debent electores cum ad electionem alicuius Prælati conueniunt, vt Deus illis prouideat de Prælato idoneo, qui populum sibi subditum benè regat. In cuius figura ipse Dominus ad hoc volens tales inducere, ait: *Rogate Dominum messis vt mittat operarios in vineam suam. Matth. 9. Luc. 10.* Apostoli volentes eligere In Apostolatu vnum de Discipulis, præmissa oratione dixerunt: *Tu Domine qui nosti corda hominum, ostende nobis quẽ elegeris ex his. Act. 1.* Cum dixisset Dominus: *Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod assumpsi eos.* scilicet in Apostolatu, sequitur: *Erant in oratione & imponentes eis manus diuiserunt eos. vt habetur Act. 13.* Orare debent omnes homines pro peccatoribus & inimicis, vel quod per se apti nõ sunt ad orandum. Sic deuotè orauit Abraham Deum vt parceret Sodomitis. *Genes. 18.* Moyses multotiens

tiens exorauit vt Deus plagã auerteret ab Ægypto & licet Ægyptij essent mali, fuit tamen à Domino pluries exauditus. *Exod.* 8. 9. & 10. Saluator noster pro inimicis orare docuit, *Math.* 5. Et ipse pro crucifixoribus suis exorauit. *Luc.* 23. Feruentius orauit Stephanus pro suis persecutoribus quam pro se ipso, quia pro se orans stetit, sed orans pro suis persecutoribus genua flexit. *Act.* 7. Apostolus Paulus pro persecutoribus orabat, vt Deus eos ad pœnitentiam vocaret. Ideo dicebat: *Oramus pro vobis vt dignetur vos Deus vocare*, vt dicitur: 2. *ad Thessal.* 1. Orare volentes debent attendere tempus, scilicet quando est orandum. vbi nota quod orandum est in omni tempore, sed maxime & principaliter quando iter agentibus ire disponitur, loqui volentibus verbum proponitur, cænam quærentibus cibus apponitur, cum patientibus mundus opponitur. Orare igitur primo debemus cum ad aliquem locum pergere volumus vt Dominus in viam pacis dirigat pedes nostros, vt custodiat nos Angelus Domini. euntes commorantes, & redeuntes, *Iudith.* 13. Propter hanc causam dicitur: Oramus Dominum pro incepto itinere, & secure euenit nobis & prospere. *Esdr.* 8. Multum confidebat Iudith in oratione, quando debebat ire ad Holofernem, cum dicebat: *Nihil aliud fiat pro me nisi oratio. Iudith.* 8. Recedens Paulus à fratribus de Achaia post pulchros sermones diutius orauit. *Act.* 28. Item Paulus dicebat Romanis, obsecrans si quomodo prosperum iter ha-

beam. *Ad Rom.* 1. Orare debet homo cum debet aliqua verba proponere vel ad interrogata respondere, vt Dominus tangat & mundet labia sua, vt dignè verba pronunciet: qui labia Esaiæ calculo mundauit ignito. *Esai.* 6. Neemias rogauit Dominum cæli, cum deberet ad interrogata respondere. *Neem.* 2. Hester locutura ad Regem Assyriorum, Rogauit Mardochæum vt congregaret Iudæos qui erant in Susis, vt ipse & ipsi Dominum pro ea deprecarentur. *Hester.* 4 Paulus Apostolus ista desiderans, dicebat Colossen. *Fratres Orantes pro vobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis*: vnde fortè sumpsit originem, quod prædicatores in principio sermonis petunt orationem fieri vt dignè proferant verbum Dei. *Colos.* 4. Orare debet homo tripliciter. Primò cum debet cibum assumere, & cũ acceperit, gratias referendo, largo modo sumendo orationem. Sic Neemias orauit dum daret Regi bibere, *Neem.* 2. Saluator noster cum discumbere faceret multa millia hominum quos de paucis panibus satiauit, priusquam comederet, orauit, in cœlum oculis leuatis. *Ioann.* 6. In cæna cum Christus suum corpus sanctissimum consecrauit, quando de mensa cum discipulis surgeret, gratias reddiderunt, & hymno dicto exierunt ad montem Oliueti, ad locum passionis, *Matth.* 26. Orare debet homo omni tẽpore, vt mundo se nobis opponente recurramus, qui nos de aduersitatibus liberet. Sic Tobias cæcus vxoris improperiis tribulatus confugit ad ora-

tionis

tionis remediũ. *Tob.* 3. Filij Iſrael tribulati ab Holoferne, orantes ad Dominũ clamauerunt. *Iudith.* 4. Tribulatus & afflictus Mardochæus pro ſe & populo Dominum exorauit. *Heſter.* 4. Azarias & ſocij eius in tribulatione fornacis ad orationis remedium confugerunt. *Daniel.* 3. Ionas afflictus in ventre ceti orauit, & ſaluus à Domino eſt eductus. *Ion.* 2 Iudæi in tribulatione poſiti, orauerunt & fuerunt à *D*omino exauditi. 2. *Mach.* 3. Paulus ad terram proſtratus & cæcatus, veniens Damaſcum, orauit & fuit liberatus. *Act* 9 Quando Petrus ſeruabatur in carcere tribulatus, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo, *Act.* 12. Orare volentes debent attendere modũ orandi, ſcilicet qualis debet eſſe oratio. circa quod ſciendnm eſt quod dignè orare volentes debent orare cum ſolicitudine ocioſitatis, certitudine lachrymoſitatis, cum promptitudine veræ vnitatis, cum certitudine ſuæ vilitatis, cum ſolicitudine aſſiduitatis. Oratio primò debet eſſe ſolitaria & ſeparata à tumultu & occupatione humanæ ſolicitudinis. Nam Iacob deuotè orare deſiderans, ſe ab vxoribus & alia familia ſequeſtrauit. *Geneſ.* 32. Oratio ſi ſit ſolitaria & mentalis, clamat in aures Dei. Sicut patet de Moyſe mentaliter & ſolitariè deprecanti, cui dixit Deus: *Quid clamas ad me? Exod.* 14.

Deprecaturus Dauid Dominum pro paruulo, ingreſſus ſeorsũ iacuit in terra. 2. *Reg.* 12. Dimiſſa turba aſcendit Dominus in montem & ſolus orauit

nos similiter orare instruendo. *Matth.* 14. Ascendit Petrus orare in superiora domus, vt posset orare diutius ab alijs separatus *Act.* 10. Oratio debet esse secundo lachrymosa tenerrimæ deuotionis Ideò Ezechias conuertit se ad dominum, & orans cum lachrymis, fuit à Domino exauditus. 4. *Regum* 20. *& Esaia* 38. Item idem Ezechias conuertit se & orauit cum lachrymis. Ideò dixit ei dominus *Audiui orationes tuas & vidi lachrimas tuas.* vt habetur: 4. *Reg.* 30. *& Esai.* 38. Flens Susãna aspexit in cœlum, & orauit ad Dominum. & eius oratio exaudita est. *Dan.* 13. Magdalena in sua conuersione non legitur orasse vocaliter, sed credendum est eam orasse mentaliter, & fleuisse, cũ lachrimis pedes domini rigauit *Luc.* 7. Oratio tertio debet esse vnita in multitudine hominum vinculo charitatis. Multum enim placet Deo oratio alicuius multitudinis vel societatis eorum qui sũt in charitate coniuncti. Ideò sacerdotes & viri religiosi vnanimes vno ore & corde charitatiuè, Deũ orare debent. Nam sacerdotes & viri vnanimes cum mulieribus resolutis crinibus dominum orauerunt, & extensis manibus Dominum deprecabantur: 2. *Mach.* 3. Iudas & qui cum illo erant, simul Dominum deprecabantur vt eriperet eos ab impio Nicanore, vt dicitur. 2. *Mach.* 15. Saluator dicit: *Si duo ex vobis consenserint, de quacunq; re petierint fiet eis.* vt patet *Matth.* 18. Post ascensionẽ erant omnes discipuli Domini in oratione cum mulieribus, perseuerantes vnanimiter cum Maria matre

matre Iesu. *Act.* 1. Omnes fideles in præmitiua Ecclesia erant vnanimes in oratione & doctrina Apostolorum. *Act.* 2. & 5. Cum orassent discipuli vnanimiter vna voce motus est locus, in quo erát cógregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Act.* 7. Oratio Quartò debet esse humilis & sui status recognitiua. Nam miro modo fuit humilis oratio Manasse, vt patet intuenti, 2. *Paral. vltimo.* Daniel intelligens opus captiuitatis completum esse, humiliter Dominum exorauit. *Dan.* 9. Breuem & humilem modum habuit leprosus, qui genu flexo orauit Dominum, dicens: *Domine si vis potes me mundare. Matth.* 8. *Marci* 1. Humiliter orauit Cēturio pro paralytico seruo indignum se reputans præsentia Iesu. Christi *Matth.* 8. Ad orandum nos humiliter inducit exemplum de humili publicano. *Luc.* 8. qui breuibus verbis meruit remissionē omnium peccatorum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* vt habetur *Luc. cap. praallegato.* Oratio quinto debet esse assidua siuè continua, vt si statim cum petit homo, non obtinet, nihilominus adhuc orare debeat. Nam orans Helias pro pluuia, cum puerum mitteret ad videndum vsque ad septem vices, nil penitus apparebat. Quo modo orationis instantia mirabiliter commendatur. 3. *Regum* 18. Non dimisit Daniel propter decretum (*Daniel.* 3.) quin oraret ter in die flexis genubus, sicut ante consueuerat facere. *Daniel.* 6. Ad hoc idem hortatur nos Dominus, dicens: *Oportet*

vos semper orare & nunquam deficcere, vt clarè habetur. *Luc*. 18. Ad orationis instantiam etiam ipse Dominus nos inducit exemplo viduæ, quæ Iudicem cum importunitate Iudicare petebat. Et exemplo amici qui panes instãter sibi petijt, cõmodari, vt habetur *Luc. 18.* Paulus qui sine intermissione monebat Thessalonicenses, hoc ipsum solicitè faciebat dicens: *Sine intermißione memoriam vestri facio in orationibus meis*, vt euidentissimè habetur *ad Theßalonicenses* 1. *Cap.* Orare volentes debent attendere causas & modos quibus exaudiantur. vbi sciendum est quod sunt quidam qui secundum appetitum suum audiuntur. Quidam non licita petunt, & non exaudiuntur. Quidam bonum concupitum præsens assequuntur. Quidam magis expetitum adipiscuntur. Orare volentes primò quidem exaudiuntur secundum eorum appetitum & placitum, licet non ad vtilitatem eorum. Nam petijt populus in deserto carnes, & Dominus iratus concessit eis. Propter quod patet quod non semper exauditio orationis est signum diuinæ dilectionis. *Num.* 11. Non placuit Domino quia filij Israel petierunt sibi Regem & tamen eos exaudiuit ad votum. 1. *Reg.* 8. Orant quidam & non exaudiuntur, quia non petunt sibi bona & licita, & quia mali sunt & indigni qui petunt. Sic Dominus Dauid orantem pro populo, licet valde deuotè orauerit, non exaudiuit, quia non erat tunc dignus exaudiri. 2. *Regum* 12. Magnæ reprobationis erat oratio Hieremiæ, quãdo di-

do dicebat ei Dominus: *Noli orare pro populo isto, nec sumas pro eis laudem vel orationem, quia non exaudiam eos. Hiere.* 11. Iacobus dicit: *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis. Iacob.*4. Populo indigno & malo dixit Dominus: *Cum multiplicaueritis orationes vestras non exaudiam vos: quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. Esai.1.* Orantes etiam aliquando exaudiũtur ad votum & ad vtilitatem, quia oratio eorum bona est, & sibi expedientia petunt. Sic exaudiuit Dominus Niniuitas clamantes & orantes ad Dominum, & peccata dimittentes à subuersione ciuitatis liberati sunt *Ionæ* 3. Sic etiam exaudiuit Susannam cum eam à morte & infamia liberauit. *Dan.*13. Hoc modo exaudiuit omnes: *Quære infra de effectu orationis Cap.*5. Orantem aliquando exaudit Deus non ad votum, sed ad vtilitatem: quia secundum sententiam sanctissimi Doctoris Augustini: *Prouidet Deus meliora quam petunt.* Quod manifestè patet in Paulo, qui patiens stimulum carnis vt admoneretur, ter Dominum orauit, quem non amouit: sed melius ipsi concessit, scilicet gratiam sperandi, dicens: *Sufficit tibi gratia mea, Nam virtus in infirmitate perficitur 2.Corinth.*12. Orare volentes, debent attendere orationis effectum vel fructum, qui effectus ex oratione acquiritur, scientes quod digne orantes à Domino recipiunt peccatorum remissionem gloriosam, filiorum adoptionem gaudiosã, aduersorum depressionẽ ruinosam, tentationum repulsionẽ virtuosã, & signorũ porrectionẽ fructuosã.

Oratio

Oratio primo quidem impetrat remiſsionem peccatorum. Sic per orationem Moyſi dicentis, *Dimitte eis Domine noxam hanc, aut dele me de libro in quo me ſcripſiſti:* Dominus populo ſuo peccatum dimiſit. *Exod.* 32. Propter hanc cauſam docuit nos Saluator, vt debitorũ, i.e. peccatorum remiſſionẽ in oratione dominica peteremus, dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra. Matth.* 6. *& Luc.* 11. In cuius figura dimiſit rex omne debitum ſeruo qui eum rogauerat, licet poſtea ex ſua nequitia ſint ei quæ fuerunt dimiſſa, repetita. *Matth.* 18. Oratio his ſecundo impetrat filios, qui non poterant ex ſua ſterilitate filios naturaliter procreare. Nam Iſaac deprecatus eſt Dominum pro vxore ſterili, & filios meruit obtinere. *Geneſ.* 25. Anna ſimiliter deuote Deum orauit cum lachrymis, & filium à Domino cum precibus impetrauit, vt habetur 1. *Reg.* 1, Heliſæus hoſpitæ ſuæ ſterili impetrauit à Domino filium: quem ſimiliter ſuis orationibus reſuſcitauit. *4. Reg.* 4. Zachariæ & Eliſabeth non erat filius, eo quod eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis: angelus autem apparuit Zachariæ, dicens: *Exaudita eſt oratio tua, vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannes,* vt patet *Luc* 1. Oratio tertio tribuit victoriam de aduerſarijs & iniurijs. Nam in bello filiorum Iſrael contra Amalech plus fecit oratio Moyſi, vel Moyſes orando, quam Ioſue pugnando. *Exod.* 17. Ideo pugnaturi filii Iſrael contra Philiſtæos, rogauerũt Samuelem orare pro eis, vt victoriam obtinerent,

vt ha-

vt habetur *1. Reg.* 7. Iosaphat rex Iuda, timore perterritus propter multitudinem quæ venerat contra eum, totum se contulit ad orandum vt victoriã impetraret, vt habetur 2. *Paral.* 20. Iudith quando decapitare voluit Holofernem, Dominum pro victoria exorauit. *Iudith.* 8. Commissurus Iudas bellum contra Gorgiam orauit, & extitit victor belli. 1. *Machab.* 4. Quia Iudas in bello contra Antiochum, non orauit, non vicit, sed diuertit, 2. *Machab.* 5. Item quia non orauit in exercitu contra Bacchidem, ipse fuit occisus & exercitus debellatus. 1. *Machab.* 9. Iudas & qui cum eo erant, inuocato Domino, congressi sunt contra exercitum Nicanoris, & manu quidem pugnantes, sed cordibus orantes, belli victoriam obtinuerunt. 2. *Machab.* 15. Dicebat Paulus: *Obsecro vos vt iuuetis me in orationibus, vt liberet me ab infidelibus.* *Roman.* 3. Oratio quarto expellit diabolum & eius tentationes; ideo Raphael monuit Tobiam, vt se tribus diebus abstineret ab vxore, & tam ipse quam ipsa orarent continue, ne diabolus haberet in eis potestatem: *Tob* 6 Propter assiduam orationem Chananeæ filia eius à dæmonio liberatur, vt habetur *Matth.* 15. Dum discipuli quoddam dæmonium non possent eijcere, & mirarentur, Dominus dixit eis: *Hoc genus dæmoniorum non eucitur nisi in oratione & ieiunio*, vt patet *Matth.* 17. Cum Paulus iret ad orationem obuiauit puellę habenti spiritum Pythonem, quem expulit orando in nomine Domini nostri Iesu Christi, *Actor.* 16. Oratio, quinto, facit operari mira-

miracula. Nam per orationem Heliæ clausum est cœlum ne plueret, & per orationem eius ad pluuiam est apertum. *3. Reg. 18.* Ad orationem deuotam Heliæ puer qui erat iam mortuus suscitatur. *3. Reg.* 17. Martha & Maria Dominum orauerunt, & impetrauerunt Lazarum suscitari. *Ioan.* 11. Decem leprosi orantes ad Dominum, meruerunt recipere sanitatem, vt clarè habetur *Luc.* 17 *cap.* Petrus & Ioannes ascendentes ad orationem, liberauerunt claudum ex vtero matris suæ. vt patet *Act.* 3. Similiter Petrus & Ioannes orauerunt pro illis de Samaria, & imponebant manus super illos & Spiritum sanctum accipere faciebant, vt clarè patet. *Act.* 8. Patrem Publij febribus & dysenteria laborantem Paulus sua oratione sanauit, vt patet *Actorum* 28.

Capvt XCV.

De Ornatu Mulierum.

Ornatus mulierum est
Ad personarum depreciationem:
Ad perfectorum reprehensionem:

ORnatus mulierum sæpè fit ad deceptionem hominum, licet aliquandò fiat vt ipsæ viris placeant quibus ornare se dicunt. Nam Thamar volens de Iuda socero suo concipere, vestibus viduitatis depositis, ornauit se, concubinatum patiens ab eodem, vt habetur *Genesis* 38. *cap.* Iesabel audito

audito aduentu Iehu, depinxit oculos ſtibio & ornauit ſe. Nota hiſtoriam 4. *Reg.9.* Propter ornamenta quæ Iudith aſſumpſit, potentem Holofernem decepit. *Iudith.* 10. *cap.* Occurrit mulier iuuenis ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, vt habetur *Prouerb.* 7. Non ſine cauſa dicitur, *Auerte faciē tuam à muliere compta:* quia ſic excitat te ad peccandum, vt patet intuenti Salomonem *in Eccleſiaſt.* 9. Ornari non debent mulieres bonæ & honeſtæ, quæ ſoli Deo placere deſiderant. Ideò Heſter quando debuit introire ad Regem, non quæſiuit cultum muliebrem ſicut quærebant aliæ mulieres, vt habetur *Heſter* 2. Comminando dicitur, *In die illa aufferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas & torques,* *vt clarè habetur Eſai.* 3. Mulierum non ſit extrinſeca capillatura, vel circumdatio auri vel veſtium cultus, vt patet *Prima Petri* 3.

CAPVT XCVI.

De Patientia & Manſuetudine.

Patientes ferre debent
Attinentes, propinquorum offenſiones:
Seruientes, Dominorum correctiones:
Patientes, tormentorum afflictiones:
Renuentes, receptorum illationes:
Audientes, Benignorum reſponſiones:
Attendentes, exemplorum oſtenſiones:

Primo

PRimo patienter ferre debent iniurias consanguinei & coniuncti, si aliquando vnus ab altero offenditur, verberetur, vel corrigatur. Sic patienter tulit Isaac & sine murmure, quando Abraham pater eius eum voluit immolare. *Genes.* 22. Ioseph patienter tulit iniuriam quam ei fratres proprii intulerunt, eisque postea illatam ab eisdem præfatam iniuriam clementer indulsit, vt dicitur *Genes.* 37. *ibidem* 4. & 5. Cito orauit Moyses pro Maria sorore sua, quæ eum offenderat murmurando. *Numer.* 12. Dauid persecutionem sustinuit, quam ei proprius filius inferebat. 2. *Regum* 15. Tobias patienter tulit cõsanguineorum improperia pariter & vxoris, vt habetur *Tob.* 2. Patienter sustinere debent serui & subditi, si aliquas molestias recipiant à Dominis & Prælatis. Domini & Prælati patienter sustineant, si etiam aliquando à subditis offenduntur. Nam Miphiboset patienter tulit iniquam sententiam quam Dauid tulit contra eum, 2. *Regum* 16. & 19. Quia mulier in adulterio deprehensa Scribarum & Pharisæorum accusationem patienter sustinuit, & accusata nihil respondit, Dominus eam ne lapidaretur misericorditer liberauit. *Ioan.* 8. Similiter Prælati & Domini debent esse patientes, si etiam aliquando offendantur à subditis. Nam Moyses de murmure populi se non turbauit, sed patienter sustinuit & misit Aaron intercedere pro eis. *Num.* 17. Sara patienter sustinuit contumeliam ab ancilla sua sibi vituperosè illatam *Tob.* 3. Patienter debet homo tribulationes &

nes & pœnas à Deo inflictas vel pro eo vel pro eius fide susceptas ferre. Sic Tobias excæcatus patienter sustinuit cæcitatem, *Tob.cap.2.* Iob fuit patiens perdendo sua, filios, & quasi se ipsum, per grauem infirmitatem quam habuit. *Iob.1.& sequentibus.* Ab vxore & amicis plus inferentibus sibi desolationis quam consolationis. *Iob per totum 1. & 2.* Alacrem patientiam habuerunt tres pueri in fornace, qui noluerunt Idolis immolare, vt habetur *Dan.3.* Eleazarus duros sustinuit patienter pro legum obseruãtia cruciatus, *2. Mach.6.* Septẽ fratres cũ pia eorum matre in eorũ tormẽtis mirabilẽ patientiã habuerunt. *2. Machab.7.* Patienter ferentes iniurias non debent quærere vltionem de offensis, licet ipsi valeant vindicare. Nam Saul noluit sustinere quod viri qui ei detraxerunt occiderentur, in detractionis vindicta. *1. Reg.11.* Helisæus etiam non permisit quod occiderentur viri qui eum capere venerunt, sed ipsos plene reficiens, libere abire permisit. *4. Reg.6.* Non solum vindictam non debet homo quærere de offensa, sed offendenti debet dimittere ex corde, non solum semel sed pluries. nam Petro quærenti quoties demitteret proximo, respondit Christus: *Non solum septies, sed septuagies septies. Matth.18.* Ad patienter portandum, & multotiẽs iniurias dimittendum adducit & inducit nos Christus exemplo serui nequam, cui dimissa fuerant decem millia talenta, vt patet *Matth.18.* Patientiam confert homini humilis & benigna re-

 sponsio.

responsio. Sic econtra dura & aspera suscitat furorem. Quia responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Prouerb.* 15. Dauid qui ad duram responsionem Nabal fuerat perturbatus, ad humilem responsionem Abigail econtra mirabiliter est placatus. *1. Regum* 25. Filij Ephraim iurgantes contra Gedeonem, sedati sunt propter eius humilem responsionem. *Iudic.* 8. Sic Roboam si iuxta consilium senum humilem responsionem populo dedisset, impatientiam & indignationem populi non incurrisset. *3. Reg.* 12. Patientiæ exemplum habemus à Christo, maxime vt cedamus furori. Nam Christus qui pati venerat à Iudæis, pluries declinauit. *Luc.* 4. *Ioan.* 8. Exemplum etiam patientiæ habemus à Christo tempore passionis, quia patientiam conseruauit in verbis detractorijs, contradictorijs, & contumeliosis, in factis, & illusionibus, & verberibus, crucifixionibus, blasphemijs & morte. *Matth.* 26. *Marc.* 14.

Caput XCVII.

De Paupertate & Inopia.

Pauperes spiritu debent
Possessionum proprietates despicere:
Refectionem sobrietatis perficere:
Exemplum mendicitatis aspicere:
Ditationem sublimitatis inspicere.

Pau-

PAupertas ſpiritualis ſiue pauperes ſpiritu nihil debent proprium poſſidere, In cuius figura Iacob Patriarcha fugiens & ad Laban vadens, nec animal, nec famulum habuit, ſed in baculo Jordanem tranſiuit, & volens requieſcere, lectum non habuit, ſed ſupponens lapidem capiti, ſic dormiuit. *Geneſ.* 28. Moyſes paſcebat oues Iethro, quia proprias non habuit. *Exod.* 3. Filij Rechabitarum domos non habitabant, vinum & vineas non habebant, nec tabernacula faciebant. *Ierem.* 35. Adoleſcenti dixit Dominus; *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* *Matth.* 19. In primitiua Eccleſia omnia dabantur, & tanquam communia ab Apoſtolis Domini habebãtur. *Act.* 4 Paulus dixit fratribus; *Argentum, aurum & veſtes non cõcupiui. Act.* 20. Petrus vero pauper dixit claudo: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do,* vt patet *Act.* 3. Pauperes ſpiritu parcè viuere debent, & modico victu contentari. Nam ſatis parcè viuebat Ruth, qui colligebat ſpicas poſt terga metentium. *Ruth* 2. Multum parcè & cum magna penuria viuebat Helias quando petebat buccellam panis & paululum aquæ à Sareptana vidua ſibi dari. 3. *Regum* 17. Filij Prophetarum ſatis temperate viuebant, quia parum de pane & Pulmetium inſipidum comedebant, nobis in exemplum, vt habetur 4. *Regum* 4. Paupertatis exemplum habemus à Chriſto, qui eſt de paupere matre natus, à paupere fabro nutritus in paupere loco reclinatus pannis pauperibus inuolutus,

pauperum oblatione in templo, ſcilicet turture vel columba redemptus, duodecennis in templo ſolus ſine familia eſt repertus. Hæc omnia nobis in exemplum paupertatis patienter ſuſtinuit. *Luc.* 2. Ad pauperes nuptias vbi vinum defecit acceſſit, & aquam in vinum mutauit. *Ioann.* 2. Caput vbi reclinaret in cruce non habuit. *Luc.* 9. Pauperem familiam omnibus diebus habuit, *Matt.* 4. Jn cruce patiẽs nudus pepẽdit, & mortuus, in ſepulchro alieno iacuit. *Luc.* 23. *Matth.* 27. Pauperes ſpiritu vel paupertatem patienter ferentes exaltantur, ditantur, & remunerantur à Domino in præſenti & in futuro. Nam Saul, qui vno ſeruo contentus, longè quærebat aſinas Patris ſui, non equos, & cuius familia minima, fuit vnctus in Regem. 1. *Reg.* 10. Dauid exiſtens in paſcuis, & quaſi pro nihilo reputatus, fuit per Samuelem vnctus in Regem, quem etiam miſit pater ad fratres victualibus oneratum. 1. *Reg.* 16. & 17. In cuius figura Nabuchodonoſor pauperes dimiſit, & diuites interfecit, vel captiuos duxit, & ſignificat Dominum, qui pauperes dimiſit vel dimittit, & diuites in infernum deducit. *Hierem.* 39. Inter beatitudines quas poſuit Dominus, prima eſt paupertatis. *Marc.* 5. Miram remunerationem promittit Chriſtus diuitias relinquentibus propter eum. *Luc.* 14. *Matt.* 19. Lazarus pauper in ſinum Abrahæ ab Angelis eſt portatus. *Luc.* 16. Ob hanc cauſam pauperes & debiles ad magnam cænam per Regis nuncios introducti ſunt *Lu* 14

Capvt

CAPVT XCVIII.

De Pace & Concordia.

Pax & concordia & vnitas inter homine,
Approbatur ex complacentia fraternæ charitatis:
Comprobatur experientia externæ quæsitionis:
Roboratur ex beneuolentia Paternæ dilectionis:
Perturbatur ex aßistentia internæ corruptionis:
Consummatur in excellentia supernæ dominationis.

PAx, concordia & vnitas inter homines super omnia alia opera *Deo* placet. Jn cuius signum omnia alia animalia præter hominem fecit duplicia, scilicet marem & fœminam; hominem verò vnum, vt vnitatem pacis & cōcordiæ commendaret. *Genes.* 1. Quamuis Dauid esset sanctus, noluit tamen *Deus* vt ædificaret ei domum, quia fuerat bellicosus, sed Salomon qui interpretatur pacificus, vt ostenderet solum pacificorū accepta seruitia reputare. 3. *Reg.* 5. Diligit Deus corda pacifica, & in eis habitat. in cuius figura ostensum est Eliæ quod Dominus non erat in commotione nec in grandine, sed in sibilo auræ tenuis, id est in loco quieto. 3. *Reg.* 19. Quod Deus pacem sic diligat, patet ex his: quia in eius natiuitate Angeli pacem annunciauerunt. *Luc.* 2. Pacem præcepit discipulis suis inter se habere. *Ioann.* 14. Pacem commisit Apostolis prædicare. *Luc.* 10. *Matth* 10. Pacem in testamento reliquit. *Ioann.* 14. Et post resurrectio-

rectionem suam pacem discipulis suis nunciauit, vt habetur *Luc.24 Ioan. 20*. Pacem debent quærere qui prius fuerunt inimici, & maxime qui habent inimicos potentes. Ideo Abimelech pacificus est cum Isaac quem prosperare videbat, vt habetur *Genes.26.* Sabaonitæ audientes ea quæ fecerat Iosue potentissimus, in Hiericho venerunt secum facere pacem. *Ios.19*. Misit Ionathas legatos ad Bacchidem, vt componeret pacem cum eo, & Bacchides tamen fuerat dux exercitus, in quo Iudas occubuit & frater eius, vt habetur 1. *Mach.9*. Rex Demetrius misit ad Ionathan epistolam, rogans pacem. *1. Mach*.11. Pacem inducunt inter homines, furori cedere, vel respõdere humiliter. Furori enim malorum cedendum est. Sic fecit Iacob recedens ab Esau. *Gen.27*. Phinees & cæteri legati ad filios Ruben missi, in excusationem illorũ benigna humilitate dulciter sunt placati. *Ios*.13. De hac materia quære in præcedenti cap. de Patientia, &c. Pacem perturbant & destruunt multa Nam aliquando pacem perturbat inuidia. Nam fratres Ioseph inuidentes ei, non poterant ipsi quicquam pacifice loqui, vt clare habetur *Genes.37*. Auaritia seu copia temporalium rerum causa sunt turbationis pacis, & fomentum discordiæ & iurgiorum, vt patet in pastoribus Loth & Abrahæ. *Gen.13* Simile habetur de Isaac & pastoribus Geraræ, propter causam prædictam. *Genes.26*. Ambitio & superbia dominandi pacem perturbant, & discordias suscitant inter propinquos, vt patet in Dauid &

Abso-

Absolone 2. *Regum* 15. Ficta etiam pax perturbat & impedit pacem bonam & veram. Ideo Ionathas noluit recipere pacem Demetrij, quia ficte pacificare quærebat, vt habetur *1. Machab.* 11. Pacis bonum ex gratia & dono Dei procedit. Vnde bonitas gratiosi prælati, & gratia & bonitas subditorum causa existit aliquando magnæ pacis, vt patet de Onia & populo Iudæorum. 2. *Machab.* 3. Propter hanc causam Paulus in suis epistolis paci præponit gratiam, dicens: *Gratia vobis & pax.* Dans intelligere, quod sine gratia non potest esse pax. Nam non est pax impiis, dicit *Dominus*, *Esaiæ* 57. De magno dono gratiæ diuinæ procedit pax, quãdo ille qui recepit iniuriam vel offensam, offendenti parcit ex animo, & pacem eius qui eum offenderat concupiscit. Sic Dauid licet ab Absalone persecutus, quærebat pacem, dicens: *Est ne pax puero Absalon?* vt patet 2. *Reg.* 18.

CAPVT XCIX.

De Peccato & eius effectibus.

Peccatum nocet homini,
Ab interiori, deprauando naturam:
Ab exteriori procurando iacturam:
A superiori, exclamando pressuram:
Ab inferiori, deuastando figuram.

PEccatum ex sua turpitudine nocet homini ab intrinseco, quia humanam naturam de-

prauat & exterminat. tollit enim homini audaciam & causat erubescentiam. Nam primi parentes qui in statu innocentiæ nudi non erubescebant, post peccatum erubescentes, se perizomatibus cõtexerunt. *Genes.* 3. Item auffert homini sensum, & infatuat eum. Vnde Adam qui ante peccatum tãta sciẽtia polluit quod rebus omnibus imposuit nomina secundum proprietates ipsorum, post peccatum sic infatuatus est. quod à facie Domini cui nuda & aperta sunt omnia, abscondere se volebat *Genes.* 3. Salomonem etiam sapientissimum peccatum infatuauit, maculans eius famam. 3. *Reg.* 11. Generatio peccantiũ odiosa. *Eccl.* 27. Itẽ, facit hominem timidum, auferendo securitatem. Nam Adam qui ante peccatũ pluries audiuit vocẽ Domini, nihil timens, post peccatũ cũ vocaretur à Domino ait; *Domine audiui auditum tuum & timui. Gen.* 3. Item tollit quietẽ intrinsecam, hominẽ nõ sinens quiescere, quia labor stultorum affliget eos *Eccles.* 10 Similiter percussit Dñs cor Dauid postquã peccauit populum numerando, dicẽs, *peccaui* 2. *Reg.* 24. Peccatum nocet homini ab intrinseco quia multotiens pœna corporali puniuntur, vt patet in Adam & Eua expulsis de paradyso, cum maledictionibus & pœnis suis. Pœna viri fuit simplex, quia dixit Dominus Adæ: *In labore & sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Pœna autem mulieris fuit duplex, dixit enim ei; *In labore paries filios & sub viri potestate eris.* huius duplicationis causa fuit, quia ipsa virum induxerat ad peccandum

Genes. 3. Sodomitæ etiam pœna ignis & sulphuris sunt puniti. *Gen.* 29. Vxor etiam Loth, quæ peccauit contra præceptum Domini se vertendo, in statuam salis est conuersa. *Genes.* 19. Pharao etiam propter peccatum cognouit se flagellari, dicẽs: *Peccaui in Deum verum. Exod.* 10. Quia filij Israel multotiens Deum offenderunt peccando, fuerunt ab eo sæpius flagellati. *Num. Iudi. Iosue. Regum. Iudith. & per totum quasi vetus testamentum. &c.* Deserta est Hierusalem & omnis vrbs Iuda, propter malitiam quam fecerunt, vt patet: *Hiere.* 44. Peccatum nocet homini à superiori, quia clamat vindictam, & specialiter peccatum enorme quodcunque. sicut illud de quo dixit Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Genes.* 4. Similiter dixit Dominus Abræ: *Clamor Sodomorum & Gomorreorum venit ad me. Genes.* 18. Clamor peccatorum vestrorum in aures Dei Sabaoth introiuit. *Iacobi* 5. Peccatum nocet homini ab inferiori, rectam eius figurã ad multa incommoda incuruando, & specialiter recidiuatio in peccatum, quod multum debilitat hominem, sicut recidiuatio in ægritudinem, debilitat corpus plus, ipsum in plura pericula inducendo. vnde in huius figura dicitur, quod postquam ambulauit Ioram in vijs pessimis, sic debilitatus est quod recessit ab Edom, & noluit ei soluere tributa. 4. *Reg.* 8. Seruus Salomonis ausus est insurgere contra eum propter peccata sua. 3. *Reg.* 11. Ad hoc facit Christi parabola. *Cum immũdus spiritus exierit*

PRimo patienter ferre debent iniurias consanguinei & coniuncti, si aliquando vnus ab altero offenditur, verberetur, vel corrigatur. Sic patienter tulit Isaac & sine murmure, quando Abraham pater eius eum voluit immolare. *Genes.* 22. Ioseph patienter tulit iniuriam quam ei fratres proprii intulerunt, eisque postea illatam ab eisdem præfatam iniuriam clementer indulsit, vt dicitur *Genes.* 37. *ibidem* 4. & 5. Cito orauit Moyses pro Maria sorore sua, quæ eum offenderat murmurando. *Numer.* 12. Dauid persecutionem sustinuit, quam ei proprius filius inferebat. 2. *Regum* 15. Tobias patienter tulit cõsanguineorum improperia pariter & vxoris, vt habetur *Tob.* 2. Patienter sustinere debent serui & subditi, si aliquas molestias recipiant à Dominis & Prælatis. Domini & Prælati patienter sustineant, si etiam aliquando à subditis offenduntur. Nam Miphiboset patienter tulit iniquam sententiam quam Dauid tulit contra eum, 2. *Regum* 16. & 19. Quia mulier in adulterio deprehensa Scribarum & Pharisæorum accusationem patienter sustinuit, & accusata nihil respondit, Dominus eam ne lapidaretur misericorditer liberauit. *Ioan.* 8. Similiter Prælati & Domini debent esse patientes, si etiam aliquando offendantur à subditis. Nam Moyses de murmure populi se non turbauit, sed patienter sustinuit & misit Aaron intercedere pro eis. *Num.* 17. Sara patienter sustinuit contumeliam ab ancilla sua sibi vituperosè illatam *Tob.* 3. Patienter debet homo tribulationes &

nes & pœnas à Deo inflictas vel pro eo vel pro eius fide susceptas ferre. Sic Tobias excæcatus patienter sustinuit cæcitatem, *Tob.cap.2.* Iob fuit patiens perdendo sua, filios, & quasi se ipsum, per grauem infirmitatem quam habuit. *Iob.1.& sequentibus.* Ab vxore & amicis plus inferentibus sibi desolationis quam consolationis. *Iob per totum 1. & 2.* Alacrem patientiam habuerunt tres pueri in fornace, qui noluerunt Idolis immolare, vt habetur *Dan.3.* Eleazarus duros sustinuit patienter pro legum obseruātia cruciatus, *2. Mach.6.* Septē fratres cū pia eorum matre in eorū tormētis mirabilē patientiā habuerunt. *2. Machab.7.* Patienter ferentes iniurias non debent quærere vltionem de offensis, licet ipsi valeant vindicare. Nam Saul noluit sustinere quod viri qui ei detraxerunt occiderentur, in detractionis vindicta. *1. Reg.11.* Helisæus etiam non permisit quod occiderentur viri qui eum capere venerunt, sed ipsos plene reficiens, libere abire permisit. *4. Reg.6.* Non solum vindictam non debet homo quærere de offensa, sed offendenti debet dimittere ex corde, non solum semel sed pluries. nam Petro quærenti quoties demitteret proximo, respondit Christus: *Non solum septies, sed septuagies septies. Matth.18.* Ad patienter portandum, & multotiēs iniurias dimittendum adducit & inducit nos Christus exemplo serui nequam, cui dimissa fuerant decem millia talenta, vt patet *Matth.18.* Patientiam confert homini humilis & benigna re-

S sponsio.

responsio. Sic econtra dura & aspera suscitat furorem. Quia responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. *Prouerb*. 15. Dauid qui ad duram responsionem Nabal fuerat perturbatus, ad humilem responsionem Abigail econtra mirabiliter est placatus. *1. Regum* 25. Filij Ephraim iurgantes contra Gedeonem, sedati sunt propter eius humilem responsionem. *Iudic*. 8. Sic Roboam si iuxta consilium senum humilem responsionem populo dedisset, impatientiam & indignationem populi non incurrisset. *3. Reg*. 12. Patientiæ exemplum habemus à Christo, maxime vt cedamus furori. Nam Christus qui pati venerat à Iudæis, pluries declinauit. *Luc*. 4. *Ioan*. 8. Exemplum etiam patientiæ habemus à Christo tempore passionis, quia patientiam conseruauit in verbis detractorijs, contradictorijs, & contumeliosis, in factis, & illusionibus, & verberibus, crucifixionibus, blasphemijs & morte. *Matth*. 26. *Marc*. 14.

CAPVT XCVII.

De Paupertate & Inopia.

Pauperes spiritu debent
Possessionum proprietates despicere:
Refectionem sobrietatis perficere:
Exemplum mendicitatis aspicere:
Ditationem sublimitatis inspicere.

Pau-

PAupertas ſpiritualis ſiue pauperes ſpiritu nihil debent proprium poſſidere, In cuius figura Iacob Patriarcha fugiens & ad Laban vadens, nec animal, nec famulum habuit, ſed in baculo Jordanem tranſiuit, & volens requieſcere, lectum non habuit, ſed ſupponens lapidem capiti, ſic dormiuit. *Geneſ.* 28. Moyſes paſcebat oues Iethro, quia proprias non habuit. *Exod.* 3. Filij Rechabitarum domos non habitabant, vinum & vineas non habebant, nec tabernacula faciebant. *Ierem.* 35. Adoleſcenti dixit Dominus: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Matth.* 19. In primitiua Eccleſia omnia dabantur, & tanquam communia ab Apoſtolis Domini habebãtur. *Act.* 4 Paulus dixit fratribus: *Argentum, aurum & veſtes non cõcupiui. Act.* 20. Petrus vero pauper dixit claudo: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do*, vt patet *Act.* 3. Pauperes ſpiritu parcè viuere debent, & modico victu contentari. Nam ſatis parcè viuebat Ruth, qui colligebat ſpicas poſt terga metentium. *Ruth* 2. Multum parcè & cum magna penuria viuebat Helias quando petebat buccellam panis & paululum aquæ à Sareptana vidua ſibi dari. 3. *Regum* 17. Filij Prophetarum ſatis temperate viuebant, quia parum de pane & Pulmetium inſipidum comedebant, nobis in exemplum, vt habetur 4. *Regum* 4. Paupertatis exemplum habemus à Chriſto, qui eſt de paupere matre natus, à paupere fabro nutritus in paupere loco reclinatus pannis pauperibus inuolutus,

pauperum oblatione in templo, ſcilicet turture vel columba redemptus, duodecennis in templo ſolus ſine familia eſt repertus. Hæc omnia nobis in exemplum paupertatis patienter ſuſtinuit. *Luc.* 2. Ad pauperes nuptias vbi vinum defecit acceſſit, & aquam in vinum mutauit. *Ioann.* 2. Caput vbi reclinaret in cruce non habuit. *Luc.* 9. Pauperem familiam omnibus diebus habuit, *Matt.* 4. In cruce patiẽs nudus pepẽdit, & mortuus, in ſepulchro alieno iacuit. *Luc.* 23. *Matth.* 27. Pauperes ſpiritu vel paupertatem patienter ferentes exaltantur, ditantur, & remunerantur à Domino in præſenti & in futuro. Nam Saul, qui vno ſeruo contentus, longè quærebat aſinas Patris ſui, non equos, & cuius familia minima, fuit vnctus in Regem. 1. *Reg.* 10. Dauid exiſtens in paſcuis, & quaſi pro nihilo reputatus, fuit per Samuelem vnctus in Regem, quem etiam miſit pater ad fratres victualibus oneratum. 1. *Reg.* 16. & 17. In cuius figura Nabuchodonoſor pauperes dimiſit, & diuites interfecit, vel captiuos duxit, & ſignificat Dominum, qui pauperes dimiſit vel dimittit, & diuites in infernum deducit. *Hierem.* 39. Inter beatitudines quas poſuit Dominus, prima eſt paupertatis. *Marc.* 5. Miram remunerationem promittit Chriſtus diuitias relinquentibus propter eum. *Luc.* 14. *Matt.* 19. Lazarus pauper in ſinum Abrahæ ab Angelis eſt portatus. *Luc.* 16. Ob hanc cauſam pauperes & debiles ad magnam cænam per Regis nuncios introducti ſunt *Lu* 14

Capvt

CAPVT XCVIII.

De Pace & Concordia.

Pax & concordia & vnitas inter homine,
Approbatur ex complacentia fraternæ charitatis:
Comprobatur experientia externæ quæſitionis:
Roboratur ex beneuolentia Paternæ dilectionis:
Perturbatur ex aſsiſtentia internæ corruptionis:
Conſummatur in excellentia ſupernæ dominationis.

PAx, concordia & vnitas inter homines ſuper omnia alia opera *D*eo placet. Jn cuius ſignum omnia alia animalia præter hominem fecit duplicia, ſcilicet marem & fœminam; hominem verò vnum, vt vnitatem pacis & cōcordiæ commendaret. *Geneſ.*1. Quamuis Dauid eſſet ſanctus, noluit tamen *D*eus vt ædificaret ei domum, quia fuerat bellicoſus, ſed Salomon qui interpretatur pacificus, vt oſtenderet ſolum pacificorū accepta ſeruitia reputare. 3.*Reg.* 5. Diligit Deus corda pacifica, & in eis habitat. in cuius figura oſtenſum eſt Eliæ quod Dominus non erat in commotione nec in grandine, ſed in ſibilo auræ tenuis, id eſt in loco quieto. 3.*Reg.*19. Quod Deus pacem ſic diligat, patet ex his: quia in eius natiuitate Angeli pacem annunciauerunt. *Luc.*2. Pacem præcepit diſcipulis ſuis inter ſe habere. *Ioann.*14. Pacem commiſit Apoſtolis prædicare. *Luc.*10. *Math* 10. Pacem in teſtamento reliquit. *Ioann.* 14. Et poſt reſur-

rectionem suam pacem discipulis suis nunciauit, vt habetur *Luc.24 Joan. 20.* Pacem debent quærere qui prius fuerunt inimici, & maxime qui habent inimicos potentes. Ideo Abimelech pacificus est cum Isaac quem prosperare videbat, vt habetur *Genes.26.* Sabaonitæ audientes ea quæ fecerat Iosue potentissimus, in Hiericho venerunt secum facere pacem. *Ios.19.* Misit Ionathas legatos ad Bacchidem, vt componeret pacem cum eo, & Bacchides tamen fuerat dux exercitus, in quo Iudas occubuit & frater eius, vt habetur 1. *Mach.9.* Rex Demetrius misit ad Ionathan epistolam, rogans pacem. *1 Mach.11.* Pacem inducunt inter homines, furori cedere, vel respōdere humiliter. Furori enim malorum cedendum est. Sic fecit Iacob recedens ab Esau. *Gen.27.* Phinees & cæteri legati ad filios Ruben missi, in excusationem illorū benigna humilitate dulciter sunt placati. *Ios.13.* De hac materia quære in præcedenti cap. de Patientia, &c. Pacem perturbant & destruunt multa Nam aliquando pacem perturbat inuidia. Nam fratres Ioseph inuidentes ei, non poterant ipsi quicquam pacifice loqui, vt clare habetur *Genes.37.* Auaritia seu copia temporalium rerum causa sunt turbationis pacis, & fomentum discordiæ & iurgiorum, vt patet in pastoribus Loth & Abrahæ. *Gen.13* Simile habetur de Isaac & pastoribus Geraræ, propter causam prædictam. *Genes.26.* Ambitio & superbia dominandi pacem perturbant, & discordias suscitant inter propinquos, vt patet in Dauid & Abso-

Abſolone 2. *Regum* 15. Ficta etiam pax perturbat & impedit pacem bonam & veram. Ideo Ionathas noluit recipere pacem Demetrij, quia ficte pacificare quærebat, vt habetur *1. Machab.* 11. Pacis bonum ex gratia & dono Dei procedit. Vnde bonitas gratioſi prælati, & gratia & bonitas ſubditorum cauſa exiſtit aliquando magnæ pacis, vt patet de Onia & populo Iudæorum, 2. *Machab.* 3. Propter hanc cauſam Paulus in ſuis epiſtolis paci præponit gratiam, dicens: *Gratia vobis & pax.* Dans intelligere, quod ſine gratia non poteſt eſſe pax. Nam non eſt pax impiis, dicit Dominus, *Eſaiæ* 57. De magno dono gratiæ diuinæ procedit pax, quādo ille qui recepit iniuriam vel offenſam, offendenti parcit ex animo, & pacem eius qui eum offenderat concupiſcit. Sic Dauid licet ab Abſalone perſecutus, quærebat pacem, dicens: *Eſt ne pax puero Abſalon?* vt patet 2. *Reg.* 18.

CAPVT XCIX.

De Peccato & eius effectibus.

Peccatum nocet homini,
Ab interiori, deprauando naturam:
Ab exteriori procurando iacturam:
A ſuperiori, exclamando preſſuram:
Ab inferiori, deuaſtando figuram.

PEccatum ex ſua turpitudine nocet homini ab intrinſeco, quia humanam naturam de-

Genes.3. Sodomitæ etiam pœna ignis & sulphuris sunt puniti. *Gen.29.* Vxor etiam Loth, quæ peccauit contra præceptum Domini se vertendo, in statuam salis est conuersa. *Genes.19.* Pharao etiam propter peccatum cognouit se flagellari, dicẽs: *Peccaui in Deum verum. Exod.*10. Quia filij Israel multotiens Deum offenderunt peccando, fuerunt ab eo sæpius flagellati. *Num. Iudi. Iosue. Regum. Iudith. & per totum quasi vetus testamentum. &c.* Deserta est Hierusalem & omnis vrbs Iuda, propter malitiam quam fecerunt, vt patet: *Hiere.* 44. Peccatum nocet homini à superiori, quia clamat vindictam, & specialiter peccatum enorme quodcunque. sicut illud de quo dixit Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Genes.*4. Similiter dixit Dominus Abræ: *Clamor Sodomorum & Gomorreorum venit ad me. Genes.*18. Clamor peccatorum vestrorum in aures Dei Sabaoth introiuit. *Iacobi 5.* Peccatum nocet homini ab inferiori, rectam eius figurã ad multa incommoda incuruando, & specialiter recidiuatio in peccatum, quod multum debilitat hominem, sicut recidiuatio in ægritudinem, debilitat corpus plus, ipsum in plura pericula inducendo. vnde in huius figura dicitur, quod postquam ambulauit Ioram in vijs pessimis, sic debilitatus est quod recessit ab Edom, & noluit ei soluere tributa. 4. *Reg.*8. Seruus Salomonis ausus est insurgere contra eum propter peccata sua. 3. *Reg.* 11. Ad hoc facit Christi parabola. *Cum immũdus spiritus exierit*

ab homine. Matth. 12. *Luc.* 11. Ob hanc causam dixit Dominus languido curato *Vade, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* Et idem dixit mulieri in adulterio deprehensæ. *Ioan.* 8. Et ideo ad nostrum propositum possemus prædicta tria capitula concludere cum quadam authoritate sanctissimi Doctoris Augustini, vbi dicit, quod peccatum est difformitas, quam Deus detestatur, iniquitas quam dæmon amplexatur; infirmitas, qua totus mundus dissipatur.

CAPVT C.

De Pœnitentia peccatorum.

Pœnitentia debet fieri
Cum acceleratione, omni tarditate deposita:
Vera contritione, lachrymositate supposita:
Pura confeßione, nuditate apposita:
Cum satisfactione & austeritate imposita:
Iustificatione atq; sanctitate composita:
Sic receptione & benignitate proposita.

POEnitentia debet fieri celeriter, & non differri vsque ad senectutem vel mortem. Non enim est tutum ire per desertum huius vitæ sine amaritudine pœnitentiæ. In cuius figura quamdiu permansit Maria soror Moysi extra castra, non processerunt filii Israel per desertum. *Num.* 12. Hoc est etiã consiliũ Sapientis: *Ne tardes venire ad Dominũ, & ne differas de die in diẽ.* vt Dñs ad pęnitẽtiã festinã indu-

induceret homines, dixit exemplum de quibusdā super quos cecidit turris. Et subdit: *Nisi pœnitentiā, feceritis omnes simul peribitis. Luc.* 13. Ad hoc idē facit parabola de seruis vigilantibus, scilicet in pœnitentia, & expectantibus Dominum suum quando reuertatur: quia diem & horam mortis penitus ignoramus. Nam secundum Gregorium: *Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis.* Vnde dixit quidam poeta: *Hoc scio quod morior, vbi quomodo, nescio quando.* Quærentibus quibusdam Iudæis quid facturi essent, respondit Petrus: *Pœnitentiam agite. Act.*2. Dixerunt fideles: ergo Deus pœnitentibus pœnitentiam dedit ad vitam in vita exercendam. *Act.* 11. Ergo pœnitentia in hac vita ab hominibus differri non debet, sed potius cum celeritate fieri. Ob hanc causam dixit Silo magister Vniuersitatis Parisiensis istos versus: *Linquo coax ranis, croch coruis, vanaq; vanis. Ad logicam pergo, quæ mortis non timet Ergo.* Pœnitentia debet esse cum contritione cordis: cuius signum sunt lachrimæ fluentes ab oculis. Ideo audiens Dominus populum, iratus est propter murmur eorum. Luxit populus nimis, & in mane plus quam Deus præceperat facere voluerunt. *Numer.* 14. Ad vocem angeli populum increpantis leuauerunt vocem pariter & fleuerunt, vt habetur *Iudicum cap.* 2. Lamentante Esdra pro peccatis, dictum est ei: *Si est pœnitentia in Israel, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro,* &c. vt habetur *Esdre* 10. Peccatrix mulier pœnitens

sic

ſic lachrymis abundauit, quod eis pedes Domini lauit. *Luc.7. cap.* Quia Dominus vidit magnã in muliere contritionem in adulterio deprehenſa, leuem & breuem ei pœnitentiam dedit, dicens: *Vade, amplius noli peccare. Ioann.* 8. Homo volens in pœnitentia contritionem habere, debet à turba recedere. In cuius ſignum Petrus qui peccauit in atrio, foras exiens fleuit amarè. *Matt.26.* Pœnitentia poſt contritionem requirit nudam & apertam confeſſionem, propter quod Dominus tranſtulit peccatum à Dauid, quia ad reprehenſionem Nathan ſe humiliter accuſauit, dicens ſe peccatũ commiſiſſe. 2. *Reg.* 12. Poſt peccatum numerationis populi confeſſus eſt etiam, dicens: *Ego ſum qui peccaui.* 2. *Reg.* 24. Ideo dicebat Iob: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, Iob.9.* Vnde Dauid dixit: *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti &c. Pſalmo 31.* In cuius figura Dominus decem leproſis pœnitẽtibus dixit: *Ite & oſtendite vos ſacerdotibus.* & ſequitur: *Dum autem irent, mundati ſunt. Luc.* 17. De hac materia quære *in cap. de confeſſione* 128. Pœnitentia poſt confeſſionem requirit integram ſatisfactionem, quæ conſiſtit in aſperitate ieiuniorum, & deuotione orationis, & largitione Eleemoſynarum, vt per aſperitatem & ieiunium ſatisfaciamus pro his quæ commiſimus in nos ipſos, per orationem his quæ in Deum per Eleemoſynam his quæ in proximum fuimus operati. Ideo Achab antè ſceleratiſſimus, operuit carnem ſuam cilicio, ieiu-

cio, ieiunauit & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. & Dominus temperauit pœnam, quam ei inflixerat pro peccato commiſſo, vt dicitur 3.*Reg.*21 Sacerdotes induerant ſe cilicijs, & ieiunauerunt, à timore Holofernis, id eſt diaboli, *Iudith.*4. Viri Niniuitæ fecerunt pœnitentiam, induti ſunt ſacco, & ieiunauerunt, & Deus indulſit. *Ion.*3. Machabæus & qui cum eo erant deprecabantur Dominum, capita cinere aſpergentes, & lumbos accincti cilicijs, ad crepitudinem prouoluti. 1 *Machab.*3. Pœnitentiam etiam debent facere viri iuſti, quantumcũquè ſint amici Dei, quia ex hoc eorum merita augmentantur. Ideò Iob, quamuis eſſet vir ſanctus, dicebat; *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Iob vltimo.* Ioannes Baptiſta ſanctificatus in vtero fugit ab annis teneris in deſertum, vbi tam aſperè vixit, & tantam pœnitẽtiã egit, quod dicebatur de eo, *Non manducans neq́; bibens Matth.* 11. Saluator noſter qui peccatũ non fecit, in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit. *Matth.* 4. Pœnitentes Deus benigne recipit, eorum pœnitentiam acceptando Nam Manaſſen Rex Iuda, qui propter peccata ductus fuerat in Babylonem, quando pœnituit, Deus benignè recepit. & eum ad gaudium priſtinũ collocauit. 2.*Paral. vltimo.* Vnde Auguſt. *Tanta eſt enim Dei miſericordia, vt Deus pœnitentem in tantum diligat ſicut illum qui nunquam peccauit.* Libenter enim Deus recipit peccatoreſ ad pœnitentiam, quia prædicationem à pœnitentia dicitur

incœ-

incœpisse *Matth* 4. Magdalenam benignè recepit & magnam familiaritatem ostendens ei, eã multipliciter commendauit, vt habetur *Luc*. 7. Ad hoc idem facit exemplum de filio prodigo, qui benignè fuit receptus à patre. *Luc*. 15. Sic alacriter Deus recepit pœnitentes, vt dicit: *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente magis, quam super nonagintanonem iustos*. *Luc*. 15. *Matth*. 18. Libenter recepisset Christus pœnitentiam Iudæ, si quandò fuit pœnitentia ductus, non desperasset, non se ipsum laqueo suspendisset, vt habetur *Matth*. 27.

Capvt CI.

De Peregrinis, & Hospitibus.

Peregrini recipiendi sunt
Cum hilaritate Dei militias:
Hospitantes liberalitate:
Pias delitias ministrantes:
De vtilitate, nouas lætitias expectantes:
Sed in paucitate veras diuitias præmonstrantes.

Peregrinos debet recipere homo hilariter, quia frequenter recipit Christum & Angelos in suum hospitium recipiendo eos. Nam Abraham celeriter recepit Christum & angelos in hospitio quos credebat esse homines peregrinos. *Genes*. 18. Loth reputans homines esse angelos & peregri-
nos

nos transeuntes suscepit hospitio, & defendit vt potuit à Sodomitis eis nefandam violentiam volentibus irrogare. *Gen.*19. In discipulis se ipsum asserit recipi & contemni, cum dicit: *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit*, vt habetur *Matth.* 10. *Luc.* 10. Paulus ait: *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidã Angelis hospitio receptis. Hebr. vlt.* Peregrinos debet homo recipere libẽter lætâ facie, necessaria ministrando. Sic liberalis & prouida videbatur esse Rebecca, quandò seruo Abrahæ dixit: *Ingredere benedicte: cur foris stas præparaui domum & locum camelis tuis. Genes.* 24. Sine magna prece & libenter Moyses à Iethro receptus est hospitio, ex quo postea eius filia & nepotes fuerunt magnificè honorati, sicut ipse vellet lætanter & libenter recipi. Ideò dixit Moyses: *Dominus amat peregrinum & dat ei victum, amictum, vestitum, & vos debetis amare peregrinos, quia ipsi fuistis aduenæ.* vt patet *Deut.* 10. Exploratores quos miserat Iosue, Raab libenter recepit. *Iosue.* 2. Liberalis hospitalarius fuit Iob qui dicebat: *Foris non remansit peregrinus, ostium meum apertum remansit viatori. Iob.* 31. Ambulans Iesus per mundum non habebat vbi caput suum reclinaret sed Martha eum libenter suscepit hospitio *Luc.* 10. Sic libenter debent recipi peregrini, vt sint cogẽdi intrare hospitium, exemplo duorum discipulorum euntium in Emaus, qui Christum peregrinum coegerunt, vt patet *Luc.* 24. Peregrinos recipientes multas à Deo recipiunt gratias & multa

miracu-

Electos tentari, subiungens deprauationem:
Malos debellari, iniungens consolationem.

PErmitit Deus bonos affligi ad tempus eos postea mirabiliter exaltando. Sic permisit Iacob pati ab Esau, qui postea repatriauit ditatus abundantissimè *Genes.* 27. Tobiam excacari permisit, quem postea illuminatum gaudio ampliauit, vt clarè habetur *Tob.* 2. Iob grauiter affligi & depauperari permisit cui postea omnia duplicauit. *Iob per totum.* Dauid longo tempore permisit pati persecutionem Saulis, quem in regem Postea sublimauit 1. *Reg.* 18. *& sequentibus.* Filios Israel affligi per Holofernem permisit, quibus postea victoriam magnam dedit. *Iudith.* 13. *per totum de victoria.* De hac materia require plura, *De iudiciis Dei occultis cap. decimo septimo.* Permittit Deus aliquando bonos homines cadere in peccata grauia, vt non glorientur de sua sanctitate, nec confidant de sua constantia, vt alijs sciant compati quando peccant. Sic permisit cadere Samson fortissimum. *Iudic.* 16. Dauid sanctissimum. 2. *Reg.* 11. Petrum promptissimũ. *Matth.* 26. De hac materia quære plura *De iudiciis Dei occultis, sup. cap.* 17. Permittit aliquando Deus populum flagellari propter peccata prælatorum malorum, Sic Deus permisit quod filij Israel debellarent filios Beniamin, propter eorum scelus & peccata. *Iudic.* 20. Sic etiam propter peccata populi & filiorum Heli permisit à Philistæis Israel debellari. 1. *Reg.* 4. De hac ma-

teria quære plura *De iudiciis Dei occultis vbi supra. c.17. & 14.* Plures etiã diuisiones & exempla quære *ibidem.* quia verè eadem est materia vtriusquè capitis.

Capvt CIII.

De Permissione Humana.

Permittunt boni aliqua fieri non libenter, vt euitentur eminentes defectus.
Vt consolentur subiacentes affectus.

Permittunt aliquandò boni viri aliqua fieri, non tamen libenter, & hoc ad vitandum malum quod posset accidere. Sic permisit Iacob Beniamin prædilectum ire cum fratrbus in Ægyptum, ne Simeon remaneret in vinculis & cæteri filij secum fame & inopia morerentur. vt patet: *Genes.* 53. Sic permisiit Abraham vt Loth separaretur ab eo timens pastorum iurgium; ne homicidium sequeretur *Genes. 11.* Moyses permisit vxori dari libellum repudij, ne vxoricidium exercerent. *Deut.* 24. Permittunt boni homines aliquando fieri aliqua non libenter, vt socios seu subditos contentos reddant, & consolentur. Sic Dauid permisit non iri ad bellum, Postquam vidit quod erat populo gratum, & ait: *Quid videtur vobis rectum hoc faciam.* vt patet 2. *Reg.* 18. Helyseus vt contentarentur filij Prophetarum qui certificari volebant de Helia, permisit eos ire ad quærendum eum

eum quem ipse sciebat assumptum. 4. *Reg*. 2. Simō cognouit quod Triphon peteret cum dolo duos filios Ionathæ & talenta argenti, & tamen permisit dari, vt populum contentaret, & ne populus crederet quod fratrem suum negligeret liberare. vt patet 1. *Machab*. 13.

CAPVT CIV.

De Peruersitate Quorundam.

Peruersitas hominum consistit in extollentia sublimitatis, superbiendo:
In affluentia cupiditatis, in poßidendo:
In exigentia Gulositatis, in comedendo:
In concupiscentia carnalitatis, lasciuiendo:
Inpatientia ferocitatis, in detrahendo:
In negligentia sedulitatis, in exercendo.

PEruersos facit homines superbia & ambitio dominandi. Nam vocati Dathan & Abyron à Moyse, quia dominari volebant & non poterant, peruersè responderunt, dicentes: *Nunquid parū est tibi, quod deduxisti nos de terra fluēte lac & mel. Num*. 16. Superbi & vanè gloriosi sunt sic peruersi, quia cauēt à minimis, & maxima scelera perpetrant. Sic Christus dicit: *excolantes culicē, & deglutientes camelum. Matth*. 23. Tales sunt similes Balaam, qui voluit, maledicere populo Dei, & dedit cōsiliū quo à mulieribus populus est seductus. *Num*. 23. 24. & 25 Ita peruersi sunt superbi, vt si aliquē offēdāt se-

mel non pacificentur niſi peius faciant. Tales ſimiles ſunt regi filiorum Amon. qui videns quod iniuriam feciſſet Dauid, adhuc eum voluit impugnare, cum eum potius placare debuiſſet. 2. *Reg.* 10 Sic etiam peruerſi ſunt ſuperbi, qui non timēt mala committere, vt videantur aliquid noui facere & ſi arguantur, interficiunt arguentes, Similes ſunt Hierobam, qui ſublimatus in regem, populū à cultu Dei deuiare fecit, & capi fecit prophetam qui eum ſuper hoc ſcelere arguebat. 2. *Reg.* 12.13. Idololatria, homicidia, & diuerſa ſcelera Manaſſē inflarunt. 4. *Reg.* 21. 2. *Paralip.* 36. Solus Mardochæus non adorabat Amon, & tamen ipſe omnes Judæos conatus eſt occidere. *Heſter.* 30. De hac materia quære plura exempla *De ſuperbia caput* 125. *per totum vſq; ad finem.* Peruerſos facit homines peccatum Auaritiæ. Nam auari ditant filios malos de ſpolijs bonorum oppoſiti Deo, qui ditauit Hebræos de ſpolijs Ægyptiorum. *Exod.* 12. Magna peruerſitas fuit Iudæ proditoris, qui propter auaritiam & cupiditatem tradidit Chriſtum, à quo beneficia immenſa receperat. *Matth.* 26. quomodo auari ſint peruerſi & dyſcoli, quære exempla pulchra *De auaritia quod eſt caput* 17. Quomodo autem peruertant iudicium, quære *ibidem.* Peruerſos facit homines tertium vitium ſcilicet Gula. Nam prima mulier ordinem naturę peruertit, quæ pomum vetitum comedere viro dedit, cum vir debuiſſet ei imponere quid deberet comedere vel vitare. *Geneſ.* 3. Filij Iſrael in deſerto gulæ per-

læ peruersitate commoti, memorabant ollas carnium de Ægypto, scilicet de seruitute grauissima, de qua virtute Domini fuerant liberati, non faciebant aliquam mentionem. *Num. 11.* Hac eadem peruersitate idem populus laborabat, quādo dicebat: *Recordamur piscium quos comedimus*, sed de Manna esca Angelica non curabant. *Exod. 16.* Quomodo vitium gulæ peruertat hominem, deornet & dementet, quære supra *De Gula. Cap. 45.* Peruersos facit homines Quartum vitium, scilicet Luxuria. Nam Amon peruersitate ductus luxuriæ Thamar sororem suam expelli fecit, quam prius oppresserat violenter. *2. Reg. 13.* Sic igitur peruersum est ingredi ad sororem vt præfatum ostendit exemplum. Sic peruersum est etiam lectum patris polluere. Ideo Iacob attendens peruersitatem filij sui Ruben qui ingressus fuerat ad Balaam concubinam patris sui. *Genes. 32.* Ad mortem veniens, dixit ei: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui. Genes. 49.* Absolon valdè peruersus fuit, quando ad concubinas patris patenter intrauit: & fuit maior peruersitas quam si ad eas clam introisset. *2. Reg. 16.* Duo senes, vndè debebant honorare Susannam, quia noluit fidem frangere viro suo, eis consentiendo, eam damnauerunt ad mortē. *Dan. 13.* De multis peruersitatibus & malis, quæ facit luxuria quære exempla plura *De luxuria cap. 69. per totum.* Peruersos facit homines Quintum vitiū, scilicet Ira. Sic enim peruersi sunt iracundi, vt nō parcant benefactoribus, innocentibus & propinquis.

quis. Similes ſunt Sauli, qui cum Dauid ei ſeruiens vt eum lætificaret, pſalleret coram eo, agitatus ira, ipſum in pariete cõfingere procurauit. 1. *Reg.* 18. Antiochus per ſuam culpam fugatus, iratus culpam ſuam in Iudæos volebat retorquere. 2. *Machab.* 9. Herodes peruerſus, iratus de Natiuitate Chriſti, in innocentes paruulos iram conuertit. *Matth.* 2. De peruerſitate iracundorum quære exempla plura *De ira in omnibus diuiſionibus eius, cap.* 69. Peruerſos facit homines ſextum vitium, ſcilicet inuidia. Sic enim peruerſus eſt inuidus, vt de eo quod ſibi non nocet, alijs prodeſſe non velit. Similes ſunt regi Edom & Seon, Regi Amorræorum, qui noluerunt vt filij Iſrael per terram eorum ſine læſione tranſirent. Sic iuſtè eis accidit, vt qui noluerunt concedere modica ſine damno, multa cum ſuo diſpendio perdiderint, vt habetur *Num.* 20. Inuidi peruerſores ſunt, ſicuti fuit Balaam, qui voluit maledicere populo quem credebat benedictum à Deo. Sed ipſi plura mala dicunt de bonis & iuſtis, quam de peccatoribus & malis. *Num.* 22. Saulus peruerſus voluit percutere Ionathan, quia excuſabat Dauid, cui ipſe nequiter inuidebat. vt clarè habetur 1. *Reg.* 20. Principes Perſarum incuſauerunt Danielem ſolum ex inuidia, quòd tribus temporibus adoraret, vt habetur *Danielis Sexto capite.* Inuidi ſic peruersè agunt, vt compatriotas, quos rationaliter deberent diligere, eo plus oderint & diffament. Similes ſunt Alcimo, qui cum eſſet de gente Iudæo-

Iudæorum, & Iudam & Iudæos deberet defendere, eos peruersè & nequiter accusauit, *secundo Machabeorum decimo quarto*. Inuidi enim sic peruersi sunt, vt nihil possit fieri quod ipsi non peruertant & conuertant in malum. Nam sicut dicit Bernardus: Inuidus omnia opera peruertendo diffamat. Nam si ieiunas, dicit: Hypocrita es. Si comedas, voracem te dicit. Si ambules, inquietum, Si quiescis pigrum, si erogas tua propria, dicit te esse vanæ gloriæ cupidum; si tenes tua, auarum: si taces, inscium & ignarum, si loqueris garrulum; si gaudes, dissolutum, si maturescis, dicit te melancholicum: si sapiens, superbum. Hæc Bernardus. Similes sunt isti Iudæis secundũ Ioannem, quos nec austeritas victus, nec manducatio decens Saluatoris potuit contentare. *Matth.* 11. Similiter Iesu eijciente dæmonia, Pharisæi inuidi miracula peruertebant, dicentes: *In Belcebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Matth.* 12. *Luc. 11.* De hac materia quære plura *De inuidia cap. 65. per totum de detractione supra cap. 39.* Peruersos facit homines septimum vitium, scilicet Acedia. Nam acidiosi inconstantes & peruersi sunt: nam si eis aliquid iniungitur operari nolunt. Si autem non iniungitur, conqueruntur. Similes sunt filijs Israel, qui auditis exploratoribus nunc volebant in Ægyptum redire, nunc contra voluntatem festinare. *Numerorum* 11. Filij Ephraim rogati, noluerunt ire cum Iephthe ad bellum, sed ipso redeunte cum victoria, iurgati sunt contra eum,

quaſi non eſſent vocati *Iudic.* 12. De hac materia quære ſupra *De Acedia. cap.3. per totum.*

Capvt CV.

De Perſeuerantia in Propoſito.

Perſeuerare debet homo
In bonitate, operando feruenter.
In caſtitate, ſeruando decenter.
Virilitate præliando valenter.
Pœnalitate, tolerando patienter.
Grauitate, collaudando frequenter.
A Vanitate declinando, prudenter.

Perseverandvm eſt in bono opere incœpto, licet multa habeat homo impedimenta, ſcilicet eſt operandum frequenter & continuè. In cuius figura Neemias licet mulra impedimenta haberet, non ceſſauit ab opere, donec muri Hieruſalem totaliter complerentur. *Neem.* 4. & 6. Si autem deſiſtat homo ab opere iam incœpto, accidit exemplum de homine deridendo qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare. *Luc.* 14. Non debet homo dimittere opus bonum, licet contingat eum tribulationem incurrere. Nam Tobias remanſit in timore Domini, licet plaga cæcitatis eueniſſet ei. *Tob.* 2. Tales ſic perſeuerantes exaudiuntur à Domino. Ideò dixit Eliachim ad populum: *Exaudiet Dominus preces veſtras, ſi in orationibus & ieiuniis perſeueraueritis Iudith.* 4. Non dimiſit Daniel propter præceptum Darij & decret-

decretum, quin Dominum vt cœperat, adoraret. *Dan.* 6. Hoc est quod Barnabas hortabatur Antiochenos in bono cordis proposito remanere. *Act.* 13. Perseuerandum est maximè in proposito & firmitate castitatis. Nam licet homo stimuletur interius à carne, & solicitetur exterius, semper debet firmum propositum castitatis retinere. Exemplo Ioseph adolescentis, quem caro plus debuit stimulare, & tamen quamuis quotidie molestaretur à Domina, firmum seruauit propositum castitatis vt habetur *Genes.* 39. Constanter Susaña restitit duobus senibus, licet ipsa esset sola cum eis, vt ipsi essent iudices, & maiores minas mortis inferrent, nec tamen thesaurum matrimonij violauit. *Dan.* 13. Maria firmum tenebat propositum castitatis, quæ in conceptione tanti filij, non consensit, donec audiuit quod eius conceptio non esset humana sed diuina. *Luc.* 1. Quomodo propositum castitatis seruetur in societate bonorum, & perdatur in societate malorum, quære supra *De castitate plura exempla cap.* 26. Quomodo autem sit castitas diligenda, & qualiter religiosi & clerici & viduæ debeant eius propositum retinere, quære *ibidem cap.* 3. & 4. 5. Perseuerandum est in prælijs temporalibus & spiritualibus, quia secundum Apostolum: *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* & secundum Gregorium: *Si vos delectat magnitudo præmiorum, non terreat certamen laborum.* In cuius figura Dauid reprehẽsus â fratre suo, & dissuasus à Saule rationibus

non destitit ab incœpto, sed cum Philistæo viriliter pugnauit, quem & vicit. *1. Reg.* 17. Quia Ioab perseuerauit in obsidione ciuitatis Rabat, Ideo eius munitiones obtinuit. Et quia perseuerauit in bello contra Absolon, victoriam habuit. Et nota quod Ioab ab incępto non destitit, quamuis esset Absolon debellatus, sed persecutus est eum donec hęrentem quercui perfodit eum tribus lanceis & occidit. 2. *Reg.* 12. & 18. Sic perseuerauit idem contra Siba, in obsidione Abelæ, nec destitit donec abscissum cerperet caput eius. 2. *Reg.* 20. Perseuerandum est, tolerando perseueranter aduersa, siue à Deo, siuè ab hominibus sint inflicta. Nam constanter & perseueranter perseuerauit Iob, sustinendo ablationem rerum, mortem subitam filiorum, & proprij corporis durissimas plagas, quando in his omnibus non peccauit. *Iob.* 1. Perseuerandum est multum in toleratione tormētorum pro nomine Iesu Christi, & defensione fidei Christianæ. Exemplo Eleazari, qui omnia tormenta perseueranter sustinuit, ne faceret contra legem. 2. *Machab.* 6. Septem illi fratres cum pia eorum matre magnum exemplum constantiæ & perseuerantiæ ostenderūt nobis pro fide Christiana seruanda, qui tot & tanta sustinuerunt passionum genera, ne paternas traditiones & leges transgredi cogerentur. 2. *Machab.* 7. Stephanus firmiter perseuerauit, duros ictus lapidū alacriter sustinendo, donec Christo pro cuius patiebatur amore, moriens spiritum commendaret. *Act.* 7.

Quare

quare autē perseuerandum sit in patientia tribulationum, *inf. de tribulationibus quære cap.*133.*per tot.*

Perseuerandum est in virtute gratitudinis domini pro receptis beneficiis, sine intermissione laudando Deum. Sic cœcus natus, à Domino pluries interrogatus, vt in laude Dei deficeret, semper in laude Dei & confessione & publicatione miraculi constanter & sine timore perseuerauit. *Ioan.* 9. In liberatione surdi & muti præcipiebat Iesus ne cui dicerent; quantò autem magis præcipiebat, tanto magis clamabāt & amplius laudabant. *Marc.* 7. Apostoli post Christi ascensionem erant perseuerantes in laudibus, cum Maria matre Iesu. *Act.* 1. Qualiter autem laudandus sit Deus pro receptione beneficiorum, & euasione periculorum, & deiectione inimicorum, & ad operationem filiorum, & sanationē infirmorum, & in assumptione ciborum, quære exempla plura *de Gratiis agendis. cap.*8.12.34.*&* 54. Perseuerandum est in malorum operum declinatione & detestatione, nec respiciendum est retro post egressum de societate malorum, ne accidat homini sicut vxori Loth post egressum de Sodomis, quæ retro aspiciens, in statuam salis est conuersa. *Genes.*19. Mardochæus licet sciret Amon esse magnum in conspectu regis, tamen propter timorē eius non dimisit quin permaneret in proposito non adorandi eum, vt habetur *Hest.*3. Socij Danielis multum constantes & perseuerantes fuerunt ne statuam, quam erexerat Nabuchodonosor, adorarent. *Dan* 3.

CA-

Capvt CVI.

De Pietate Mulierum.

Pietatem exemplo mulierum habere debemus.
Ergo agentes neceßitate constrictos:
Parum potentes ex paruitate relictos:
Et attinentes, consanguinitate astrictos:
Patientes, & pœnalitate afflictos:
Famam perdentes, ex impietate coniunctos:
Et viuentes, disciplinis astrictos.

Pietatem mulierum ad hæc scripta veteris Testamenti & noui commemorant, vt homines duros ad pietatem inducat. Pio igitur exemplo earum nos ducet ad pauperes & egenos, & maximè peregrinos. In cuius exemplo Rebecca videns seruum Abrahæ peregrinum & aduenam, bibere postulantem, pietate commota non solum ipsi bibere tribuit, sed ad aquauit camelos, & ille ipsi etiam plura repromisit. *Genes. cap. 24.* Vidua Sareptana pietatem ostendit, quæ pauit Heliam aduenam & inopem & peregrinum, *3. Reg.* 17. Tantam pietatem ad Heliseum peregrinum habuit mulier Sunamitis, vt virum suum induceret vt ipse aptum locum faceret ad manducandum. 4. *Reg. 4.* Magna apparet humilitas pietatis Beatæ Mariæ Virginis ad pauperes, quia ad pauperes ire nuptias voluit, vt deficiente vino verecundorum pauperum coram filio fieret aduocata. *Ioannis* 2. Larga etiam pietas Beatæ Mariæ perpenditur, quæ cũ

quæ cum in die Epiphaniæ aurum & dona à magis reciperet, postmodum in sui purificationem non potuit emere agnum quem offerret pro filio sed obtulit oblationem pauperum, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum: quia illa munera erant iam per ipsam pauperibus erogata. *Matth.*2. Saluatori nostro pauperi & peregrino Martha præparauit hospitium, & ei necessaria ministrauit. *Luc.* 10. Multum piæ fuerunt istæ mulieres, quas Lucas dicit ministrasse Domino prædicante. *Luc.* 8. Hanc pietatem habẽt pauperculæ mulieres plus quam diuites, & multò magis merentur. Ideo Deus præfert duo minuta pauperis viduæ oblationibus diuitum. *Luc.* 21. Lidda purpuraria magnam pietatem ad Paulum & ad socios eius habuit. *Act.* 16. Qualiter pietas debet haberi ad peregrinos, quære supra *Cap.* 5. Qualiter autẽ pij simus ad pauperes, quære *supra de liberalitate cap.* 55. & 77. Pietas mulierum à quibus sumere debemus exemplum, est, ad pueros paruulos qui se ipsos iuuare non possunt, vnde est quasi pietas infirmorum. Sic piæ fuerunt obstetrices Ægiptię, quæ pietate motæ, contra Pharaonis præceptum pueros paruulos seruauerunt. *Exod.* 1. Filia Pharaonis vidẽs puerum Moysen paruulum in fiscella lachrimabiliter vagientem, ipsius miserta, in proprium sibi filium adoptando, mulieri tradidit ad nutriendum. *Exod.* 20. Cum Athalia occideret omne semen Regium Iosaphat, miseratus Ioas pueri paruuli, tulit ipsum, & ne cum alijs interficeretur,

ceretur, abſcondit & nutriuit. 4. *Reg.* 11. Pietatem exemplo piarum mulierum habere debet homo ad filios & ſibi carne & fide coniunctos. Sic Aaron videns ſuos ſpirituales filios ab ignis incendio deuaſtari, currit ad medium multitudinis, deprecans Deum vt plaga ceſſaret. *Numer.* 17. Vna illarum duarum mulierum cor habuit valde pium, cuius viſcera ſuper proprio filio quem Salomon diuidi per medium iuſſerat, ſunt commota. 3. *Reg.* 3. Mulier Chananæa tantam pietatem habuit erga filiam quæ vexabatur à dæmone, quod illius vexationem propriam reputabat, dicens: *Domine miſerere mei. Matth.* 15. Mater filiorum Zebedæi pia erat ad filios, pro quibus ſic ſollicite Dominũ deprecabatur. *Matth.* 20. Multum fuit pia mater Ieſu ad filium Chriſtum; quem cum perditum credidit ſic ſolicita & cum dolore requiſiuit. *Luc.* 2. Maximam pietatem autem omnium mulierum habuit beatiſſima virgo & mater Maria circa Saluatorem, quando diſcipulis fugientibus ipſa, ſi eum iuuare poſſet, in aliquo loco iuxta crucem filii ſui ex maxima compaſſione & pietate ſtetit. *Iohan* 19. Pietatem exemplo mulierum debet homo habere ad poſitos in tribulatione & mortis periculo, ſiue extranei fuerint ſiue propinqui. Sic Laab videns exploratores Iſrael ad mortem, miſerta eorum abſcondit eos, & quærentes eos ſubtiliter deluſit. *Ioſ.* 2. Sic pia fuit illa mulier viri cuius dant in Bahurim, quæ nuncios Dauid quos Abſolon quærebat ad mortem, pie abſcondit in puteo, os

putei

putei velamine ſuperpoſito contegendo. 2. *Regum* 17. In magno periculo poſuit ſe Heſter pia vt Mardochæum & populum à mortis ſententia liberaret. *Heſter*.4. Mulieres illæ multum fuerunt piæ, quæ Chriſto patienti perſonaliter aſtiterunt, & ſecutæ ſunt eum plangentes, dum duceretur ad crucem, quando eum Apoſtoli reliquerunt. *Luc*. 22. *Ioan*. 19. Ipſo etiam poſito in ſepulchro, vnguenta portantes, pietatem oſtendere voluerunt. *Luc*.24. *Marc*.16. Petrum eductum de carcere, quem Herodes decreuerat decollare, Maria pia mater Ioannis pie recepit hoſpitio, vbi erat multitudo credentium abſcondita propter metum Iudæorum. *Actor*.12 Pietatem debet habere homo, exemplo mulierum, ad eos quos audiunt turpiter diffamari publice vel occulte, eos pie excuſando, &, ſi poſſunt veridice, eos de bonis operibus commendando. Sic blaſphemantibus & depreciantibus Iudæis Chriſti miracula, pia mulier extollens vocem de turba dixit illi: *Beatus venter qui te portauit, &c. Luc*. 11. Accuſantibus Iudæis CHRISTVM, & eum coram Pilato pluribus diffamantibus vxor Pilati Chriſto compatiens, iniuſtam eius mortem voluit impedire, de iuſtitia eum commendando, quod de nullo viro legitur accidiſſe, vt habetur *Matth. cap*. 27. De hac materia quære plura exempla. *ſupra De Liberalitate cap*. 77.

Pietatem habentes exemplo SS. mulierũ, vitam corporalem & ſpiritualem impetrantes cõſeruant ſibi

II. Malitiosus populus in præsentia dominorum monstrat se subiectum & obedire paratum, sed in eorum absentia inobedientes & rebelles efficiuntur. Nam in præsentia Moysi dixit populus: *Cuncta quæ præcepit Dominus faciemus.* Et cum Moyses abesset, recesserunt, vitulum conflatilem adorantes, vt habetur *Exod.24. & 32.* Audientes gentes prædicationem Pauli & Barnabæ, eos cum gaudio susceperunt, sed peruersi eos postmodum de suis finibus expulerunt. *Actor.13.* Homines de ciuitate Lystra Paulum & Barnabam voluerunt adorare vt deos, & postea lapidauerunt eos, occidisse putantes. *Actor.14.* Idem populus qui ad Hieremiam dixerat: *Omne verbum ad quod misit te Dominus faciemus*, post decem dies dixerunt: *Dominus te non misit. Hierem.42. & 43.* Similiter idem populus qui obuiam Saluatori clamabat *Osanna*, post quinque dies dixerunt clamantes magnis vocibus, *Crucifige eum*, vt habetur *Luc.23.* Populus mouetur de facili in voluntates diuersas, propter aliquas modicas tribulationes. Nam rediens Moyses in Ægyptum, narrauit populo verba Domini, quomodo eos descenderet liberare, & crediderunt & lætati sunt. Sed cito contra Moysen ira moti, conquesti sunt de eo & Aaron, cum affligerentur ab exactoribus Pharaonis. *Exod.5.* Similiter filij Israel contra Holofernem se viriliter & vnanimiter parauerunt, sed post modicum aliqualiter tribulati, versi sunt contra Oziam pontificem & dixerunt: *Iudicet Dominus inter te & nos. Iudith.7.* Populus ideo

mouetur de facili; quia de acceptis beneficiis est ingratus. Nam cum Gedeon populum de manu Madian liberasset, dixerunt: *Dominare tu nobis, etiam filii tui:* quo mortuo, patris beneficia obliti, de eius septuaginta filijs nullum eorum in Dominum eligere voluerunt. *Iudic. cap. 9.* Samuel recuperatis vrbibus de manu Philistinorum, populum liberauit, & tamen ipsi ingrati contra voluntatem Dei & Samuelis, Regem sibi tribui petierunt, vt habetur 1. *Regum* 8. Licet Dauid bene rexerat populum, habitis multis victoriis, tamen ipsi omnium beneficiorum obliti, cum Absalone eius aduersario cōtra eum insurrexerunt. 2. *Regum 15.* Quando Christus pauerat multiplicando panes, volunt eum regem constituere super se; sed statim beneficiorum obliti, signa ab eo fieri postulabant. *Joan. 6.* Populus mouetur de facili, aliquando propter correctiones & increpationes; vel propter verba aspera dominorum. Nam populus Israel sub Salamone honore & abundantia abundauit; & tamen ad vnū verbum durum quod Roboam eius filius dixit, indignati vehementer, pro maiori parte ab eius dominio recesserunt. 3. *Regum 12.* Iudæi satis bono animo dicebant Christo, quod in Nazareth ciuitate sua operaretur miracula: & tamen post increpationem eis factam à Domino, præcipitare eum de montis supercilio voluerunt. *Luc. 4.* Populus mouetur aliquando de malo in bonum, licet raro. Et hoc propter miracula quæ aliquando viunt. Nam cum apprehenderet populus Hieremiam-

miam, dicens: *morte moriatur*; postea visis signis dixerunt; *Non est dignus morte. Hierem. 26.* Quia populus nimis cito senibus Susannam accusantibus credidit, condemnauerunt eam morte. Sed viso quod suscitauerat Deus spiritum Danielis, reuersus est populus cum festinatione, & liberauit eam, & senes ipsos occiderunt, vt habetur *Daniel.* 13. Filii Israel, qui ditati & armati exiuerant de Ægypto, videntes Ægyptios, contra Moysen & Aaron murmurare cœperunt. Sed postquam Deus mare miraculose diuisit & Pharaonem submersit, Domino & Moysi crediderunt, vt habetur *Exod.* 14. & 15. Cum vipera manum Pauli apprehendisset, omnes eum esse homicidam crediderunt; sed cum eam excussisset in ignem, & nihil læsionis sentiret, quilibet eum asseruit seruum Dei. *Actor.* 28.

CAPVT CVIII.

De Præceptis Dei.

Præcepta Dei seruanda sunt,
Ex lenitate iniunctionis mandatorum:
Ex fidelitate conditionis subditorum:
Sedulitate ostensionis exemplorum:
Acerbitate punitionis transgressorum:
Auctoritate impletionis Prælatorum:
Amænitate saluationis seruatorum.

Præcepta Domini ſeruanda ſunt; quia leuia, & poſſunt faciliter adimpleri. Nam breue præceptum ad obſeruandum,& breue ad memoriter retinendum dedit Dominus Adæ, ſcilicet ne de pomo ligni vetiti manducaret, *Geneſ.*2. Vt filij Iſrael leuia pręcepta Domini obſeruarent, iuſſit eos Dominus ſanctificari, cum ea deberent accipere, vt leues ab oneribus peccatorum, poſſent eis præceptis leuius conformari. *Exod.*19. Quia omnia leuia tendunt ſurſum, præcepit Dominus filiis Iſrael vt vittas hyacinthinas ponerēt in augulis palliorum, vt haberent memoriam cœleſtium mandatorum, *Numer.*15. Ob hanc cauſam conqueritur Dominus, quod filij Rechab præcepta patris eorum, quæ erāt valde grauia, (ſcilicet non bibere vinum,& non habere domos) ſeruabant: ſed populus Dei præcepta leuia contemnebant, vt habetur *Hierem.*35. Præcepta Dei ſeruanda ſunt: quia ſerui & ſubditi eius ſumus. Ideo ea vſque ad mortem ſeruare debemus. Propter quod Balam, licet malus, dicit regi Moab: *Dixi tibi quod facerem quicquid præciperet mihi Dominus*, vt habetur *Numer.*22. Suſanna melius iudicauit in manus hominum cadere quam delinquere legem mandatorum Dei, infamiæ & mortis periculo ſe exponens, vt habetur *Dan.*13. Cum trucidarentur ſub Antiocho legis obſeruatores, multi de populo noluerunt infringere legem Dei, ſed elegerunt potius trucidari. 1. *Mach.*2. Duæ mulieres delatæ ſunt filios circumcidiſſe iuxta Dei præceptum, quæ publice circumductæ

ductæ per muros, infantibus suspensis ad vbera, sunt proiectæ, vt habetur 2. *Mach* 6. Eleazarus senex duros cruciatus sustinuit ne præcepta diuinæ legis infringeret. Et illud idem septem fratres cum pia matre eorum fecerunt, inaudita tormenta & cruciamina sustinentes, vt habetur 2. *Mach*. 6. & 7. Præcepta Dei adimplenda sunt & obediendum est eis, exemplo aliarum creaturarum. Nam eius præceptis obediunt angeli boni. Quia cum numerasset Dauid populum, præcepit Dominus angelo vt percuteret populum, & percussit, & postea impetrauit desinere, & cessauit plaga, vt clarissime habetur 2. *Reg*. 24. 1. *Paral*. 21. Mali etiam angeli præceptis Dei obediunt. Nam præcepit Dominus immundo spiritui vt exiret ab homine. Et sequitur: *statim dæmonia exierunt*. *Luc*. 8. Coruis præcepit Dominus, vt pascerent Heliam Prophetam, qui ei carnes & panem mane semper & vespere deferebant. 3. *Regum* 17. Similiter ventis & mari præcepit, & obediendo ventus & mare siluit & quieuit. *Luc*. 8. *Matth*. 8. Generaliter dicitur: *Præceptum posuit & non præteribit, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*. *Psalm*. 148. Præcepta Dei debent generaliter obseruari à Prælatis, & iidem debent alios postea facere obseruare. Ideo specialem memoriam fecit Dominus Iosue de obseruantia mādatorum, quoniam ipsum principem sui populi ordinauit. *Ios*. 1. Rex Dauid instituens Salomonem regnaturum post se, instruxit eum dicens: *Tunc proficere poteris, si custodieris mandata quæ præcepit Dominus*

minus obſeruari. 1. *Paralip.* 28 & 3. *Regum* 2. Ex ordinatione Ioiadæ Pontificis impoſuerunt filio regis Diadema, dederuntque in manu eius tenendam legem, & regem ſuper populum ſtatuerunt. 2. *Paralip.* 23. Rex Perſarum monarcha totius mũdi, non verecundabatur dicere: *Præcepit mihi Deus cœli vt ædificem ſibi domum in Hieruſalem.* 1. *Eſdr.* 1. Pater Ioannis Baptiſtæ qui erat Pontifex, Prælatus, & vxor eius Eliſabeth, erant ſine querela, in mandatis Domini, & Dei iuſtificationibus incedentes. *Luc.* 1. Præcepta Dei ſeruanda ſunt timore pœnæ & maledictionum quæ tráſgreſſoribus ſunt paratæ. Nam dicitur in Pſalmo: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis Domine.* Grauiter punitus eſt Adam, qui præceptum Domini non ſeruauit, cum ipſe fuit de paradiſo expulſus, & ad mortem ipſe eiuſque poſteritas condemnati ſunt. *Geneſ.* 3. Vir Dei, qui contra præceptum Domini panem comedit, fuit à leone occiſus, vt habetur 3. *Regum* 13. De hac materia quære plura exempla *De Obedientia cap.* 89. Præcepta Dei adimplenda ſunt, propter remunerationem, quæ datur obſeruantibus & cuſtodientibus ea. Quia, vt dicitur in Pſalmo: *In cuſtodiendis illis*, ſcilicet mandatis, *retributio multa.* Quia Noe fecit omnia quæ præcepit ei Deus, ſic fuit remuneratus à Domino quod fuit ſaluatus ab aquis cum tota ſua familia, conſumpta omni creatura, quæ contra Dei præceptum corruperat viam ſuam. *Geneſ.* 7. Adoleſcenti quęrẽti à Domino quomodo poſſet fieri ſaluus, reſpondit Chriſtus: *Si ad*

vitam æternam vis ingredi, serua mandata. Matth. 19. De hac materia quære plura exempla *De Obedientia. cap.* 89. Quomodo autem diuinis mandatis obediendum sit magis quam præceptis hominũ, non solum lingua sed opere, velociter atq; prompte, *quære vbi supra.*

CAPVT CIX.

De Prælatis & Principibus bonis.

Prælatus bonus & Princeps debet esse
Præamator subditorum:
Perscrutator secretorum:
Defensator commissorum:
Doctrinator insciorum:
Ordinator agendorum:
Confortator timidorum:
Liberator oppressorum:
Consolator afflictorum:
Excitator tepidorum:
Sustentator egenorum:
Refrenator superborum:
Visitator orphanorum:
Verberator transgressorum:
Extirpator peruersorum:
Exhortator petendorum:
Dispensator credendorum.

PRÆLATVS debet primo subditos suos diligere, siue spiritualis, siue temporalis Prælatus vel Princeps. Ideo Moyses sic popu-

lum ſibi commiſſum amauit, & reſpuit maiorem populum, quam ſibi Dominus promittebat, ſuo cōtentus populo quem amabat. *Exod.30.* Signum prælati erga ſubditum amoris, eſt quod ipſe diligebat honorem cuiuslibet ſubditi ſicut ſuum. Hoc ſignum habuit Moyſes, quando deſiderabat quod omnes de ſuo populo propheтarent, licet ex hoc eius honor & fama diminui videretur. *Numer.11.* Voluit Dominus delere populum poſt reditum exploratorum, & ſuper maiorem populum ei regimen tribuere, ſed Moyſes recuſauit. *Numer.14.* Sic docuit Dominus bonum paſtorem diligere populum ſuum, vt animam ſuam ponat pro ouibus ſuis quæ ipſi à Domino committuntur. *Ioan.10.* Exemplo etiam ſuo hoc idem nos Dominus docuit, qui cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. *Ioan.13.* Sic amabat Paulus ſuos ſubditos quod dicebat: Ego libenter impendam & ſuper impendar pro animabus veſtris licet plus vos diligens minus diligar. 2.*Corinth.*12. Prælatus & Princeps debet eſſe ſcrutator ſecretorum, per ſcientiam quā debet habere. Sic enim inſtruuntur Prælati: *Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populo. Sapient.6.* Talis princeps fuit Salomon, qui ſua ſapientia & ſcientia perſcrutatus eſt vtrius duarum mulierum eſſet filius ille de quo mulieres cōtendebant: propter quod audiuit populus quod iuſte iudicaſſet rex, & timuerunt eum, videntes in eo ſapientiam Dei eſſe. 3.*Reg.*3. Signum eſt quod Dominus diligit populum, quando eis dat ſapientem Principem vel

vel Prælatum. Ideo dixit Regina Saba Salomoni: *Diligit Dominus Israel, quia te Dominus Regem constituit super eum. vera enim sunt, quæ audiui de virtutibus & sapientia tua*, vt patet 2. *Paralip*. 9. & 3 *Reg*. 10. Hanc sapientiam Paulus habuit, quando vsque ad tertium cœlum raptus fuit, vbi audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. 2. *Corinth*. 12. Ideo de diuinis & arcanis atque humanis scientiis lac, potum & escam subditis suis dedit, vt patet 1. *Corinth*. 3. Prælatus debet esse defensor sibi commissi gregis, vt sit verus pastor, non mercenarius, qui amissis ouibus, quando lupum aspicit venientem, fugit. *Ioan*. 10. Talis Prælatus extitit Moyses, qui defendit Hebræum iniuriam ab Ægyptio patientem. *Exod*. 2. Bonus Princeps fuit Gedeon, qui de manu Madian commissum sibi populum defendit viriliter & prudenter. *Iudicum* 6. Sic Christus defendit Magdalenam à Simone, de ipsa in sua cóuersione nequiter & diabolice cogitantem, *Luc*. 7. Sic Petrus defendit discipulos à Iudæis, dicentibus eos musto esse repletos ipsos rationibus & auctoritatibus defendendo. *Actor*. 2. Prælatus debet esse doctor nescientium & imperitorum, eos in necessarijs & vtilibus instruendo. Tales promittebantur nobis à Domino, cum dicebat: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos in scientia & doctrina. Hierem*. 3. Ideo Artarxerxes monuit Esdram & Principes verbis legis instruere imperitos. 1. *Esdr*. 7. Ideo Iosue populum sibi commissum instruxit, quod cunctis diebus quibus ipse vixit

dum & pusillanimem populum in suis epistolis plurimum confortauit, dicens: Confortamini in Domino & in potentia virtutis eius. *Ephes. cap. 6.* Prælatus debet, quantum est possibile, liberare oppressos. talis prælatus extitit Moyses, qui nunquam cessauit, ad multa se exponens pericula coram Pharaone, vt oppressum populum liberaret, ostendens quod eos volebat tam per se quam per alios liberare, vt patet *Numer. 6. & infra.* Ideo mandauit Dominus per Prophetam, vt Rex Israel inciperet præliari, vt populum in Samaria oppressum ab oppressione Regis Syriæ liberaret, vt habetur 3. *Regum cap.* 20. Helisæus consolatus est mulierem debitis obligatam, oleum augmentando, & Sunamitem tribulatam de filio mortuo, quando eum suscitauit à mortuis, vt patet 4. *Regum* 4. Saluator noster consolatus est viduam, cuius filius efferebatur mortuus extra portam, dicens: *Noli flere*, cui reddidit filium suscitatum. *Lucæ* 7. Mulierem in adulterio deprehensam Saluator noster pie & misericorditer fuit consolatus. *Ioan.* 8.

Prælatus bonus debet subditos excitare & incitare ad bonum, sicut Patriarcha Iacob, qui audiens quod alimenta vendebantur in Ægypto, pigritantes filios excitauit, & incitauit eos, dicens: *Quare negligitis? Genes.* 42. Quamdiu vixit Ioiada Propheta vel pontifex, quia Ioas Principem incitabat ad bonum, bonus fuit ipse Ioas, qui mortuo Ioiada, carens excitatore, pessimus est effectus, 4.

Regum 12. Talis Prælatus erat Paulus Apoſtolus, qui in ſuis Epiſtolis pigritantes filios excitauit & ſubditos, dicens: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, quia propior eſt noſtra ſalus quam cum credidimus, dies appropinquauit. Roman.* 12. In huius figura angelus (qui Prælatum ſignificat, qui debet angelicam ducere vitam) Petrũ vinctum catenis & dormientem in carcere liberauit. *Actor.* 12. Prælatus bonus debet paſcere & ſuſtentare pauperes & egenos ſpirituali & temporali ſubſidio refouendo, vt ſit alter Ioſeph, qui fame pereuntibus, in Ægypto manu larga apparuit horrea Pharaonis. *Geneſ.* 41. Talis prælatus extitit Heliſæus, qui panes fecit diſtribui filiis Prophetarum. 4 *Regum* 4. Saluator noſter videns multitudinem deficientem ieiuniis, ne in via deficerent eos, multiplicatis panibus & piſcibus pluries reficiens, ſatiauit, vt patet *Matth.* 14 *Ioan.* 6. Quando Chriſtus Petrum inſtituit Prælatum, dicit ei ter: *Paſce oues meas*. Non; *comede vel occide*: quia Prælatus non debet occidere oues, eis lanam, id eſt, temporalia bona, & carnes, & ſudorem, & ſanguinem pauperum auferendo, & nequitioſe conſumendo: ſed potius debet oues paſcere tripliciter, ſcilicet verbo diuino, exemplo bono, & temporali ſubſidio. Et talis paſtor congrue eſt vicarius Chriſti. *Ioan.* 21. Paulus Apoſtolus ſic deſiderabat pauperem ſuſtentare, quod quando non habebat de ſuo vt tribueret aliis, ab aliis acquirebat, vt patet de collectis. 1. ad *Corinth.* 16. Hic introducitur execrabilis abuſio malo-

malorum Prælatorum, qui non habent vnde pauperes sustentare possent, id est, carent eloquentia & sapientia, eò quod sunt inscii & ignari. non igitur capiunt ab aliis inquirere, sed potius oues fame perire permittunt. tales merito magis Mercenarii quam Pastores vocantur. *Ioan.* 10. Prælatus bonus debet verbis & factis refrenare & domare superbos. Talis fuit Moyses, qui refrenauit superbiam Chore, Dathan, & Abyron, dicens: *Quare erigimini filii Leui. Numer.* 16. Ezechias rex volens refrenare superbiam, facit excelsa destrui, ne superbus populus idolis immolaret. 4. *Regum* 18. Samuel Prælatus perfectus Saulum superbum increpauit refrenando, quia inobediens fuit præceptis quæ præceperat ei Deus. 1. *Regum* 15. Summus Pontifex Onias superbo Heliodoro restitit, qui templum Domini exspoliare volebat, & auferre deposita viduarum. 2. *Machab.* 3. De hoc instruxit Apostolus Timotheum, dicens: *Diuitibus præcipe superba non sapere.* 1. *Timoth. vltimo.* Prælatus bonus debet sæpe suos subditos qui longe sunt positi & dispersi, visitare, vt bonos confortet in bono, & malos corrigat puniendo. Propter quod dixit Iacob ad Ioseph, quam ad fratres suos vt Prælatum & Principem adorare debebant: *Vade, visita fratres tuos si recte agunt; & renuncia mihi quid agatur. Genes.* 37. Talis Prælatus visitans fuit Samuel, qui circumibat ciuitates & loca, vt qui eo in aliquo indigeret posset, ad eũ facilius haberet recursum. 1. *Regum* 7. Quando autem Prælatus non potest

per

per seipsum visitare absentes, debet alios mittere visitantes. Sic Ezechias mittebat cursores per vniuersum Israel, vt reuerterētur ad Dominum. *2. Paralip.* 30. Ipse etiam Iesus circumibat ciuitates & castra. Et vbi adesse personaliter non potuit, illuc discipulos suos ante faciem suam mittere satagebat. *Luc.* 8. Prælatus bonus debet transgressores corrigere & punire. Sic Moyses, qui populum puniuit acerbe, quando conflatilem vitulum adorauit. *Exod.* 32. Saluator noster nunquam legitur fuisse seuerus, nisi contra delinquentes, vendendo & emendo in templo, quos facto flagello de funiculis, & mensas numulariorum euertens, de templo tāquam excommunicatos eiecit. *Ioan.* 2. Ideo Prælato per Prophetam dicitur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Psalm.* 2. Talis Prælatus Paulus, qui dicebat: *Arma militiæ nostra non sunt carnalia, sed potentia Dei. In virga enim ferrea veniam ad vos*, vt patet in *Prologo super libros Moysi.* Prælatus bonus debet extirpare peruersos, & rebelles, & contumaces, ne ouis morbida alias præsumat inficere. Et secundum Augustinum in Regula: Non fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Sic Moyses Chore proteruum & complices, scilicet Dathan & Abiron, ne populum inficerent, extirpauit. *Numer.* 16. Iudas Machabæus extirpauit ex suo populo peruersos, sed eo mortuo exorti sunt qui operabantur iniuriam. 1. *Machab.* 9. Paulus Apostolus consuluit & mandauit Corinthiis de peruerso homine

mine, qui vxorem patris sui tenebat, exepelli de medio, eo quod ipse adiudicauerat cum Sathanæ in interitu carnis suæ. 1 *Corinth.* 5. Sic Petrus Ananiam & Saphiram dura extirpauit sententia, ne discipuli alij discerent mentiri Spiritui sancto, & de ægrotum precio defraudare. *Actor.* 5. Prælatus debet orare pro se simul & pro subditis ea quæ sunt necessaria ad salutem, & maxime pro redemptione culparum. Sic Moyses Prælatus perfectus, deuote & perfecte pro populo qui peccauerat exorauit. *Exod.* 32. Samuel dicebat ad populũ: Absit à me hoc peccatum vt cessem orare pro vobis. 1. *Regum cap.* 12. Videns Dauid Angelum percutientem populum, rogauit vt punitio reuerteretur in eum. 2. *Regum* 24. Orans Prælatus inducit populum ad orandum. Nam orante Esdra, fleuit eius populus & orauit 1. *Esdr.* 9. & 10. De hac materia quære plura *De Oratione, cap.* 93.

Prælatus bonus debet distribuere beneficia, quæ tradere debet, non respectu carnis & sanguinis, sed respectu meriti & virtutis. Exemplo Moysi, qui distribuẽs plaustra Leuitis, nullum dedit consanguineis. *Numer.* 7.

Moriendo Moyses nullum de consanguineis vicarium reliquit, sed rogauit Deum fideliter & deuote, vt de bono duce populo fideliter prouideret. *Numer.* 27.

Christus Saluator noster nullum de consanguineis, quos habebat Apostolos, humano generi Vicarium reliquit, sed Petrum solummodo, di-

do, dicens: *Simon Petre, diligis me plus his?* Et tunc eum pastorem ad pascendum populum dereliquit. *Joann. cap. 21.*

Capvt CX.

De Prælatis & Principibus malis.

Prælati mali sunt consentientes in subditorum errores, non corrigendo:
Impedientes operatorum labores, in seducendo:
Non attendentes excusatorum dolores, ore fremendo:
Et destruentes inferiorum labores, in sua conuertendo:
Simoniam sequentes, prædicatorum tenores vitæ spernendo:
Distribuentes concedendorum honores, lucra volendo:
Non sustinentium tormentorum horrores, puniendo.

PRælati & præcipue mali sunt illi qui consentiunt malis operibus & perpetratis, non corrigendo, sed eorum peruersæ voluntati & operationi præbendo consensum. Talis fuit tunc Aaron quando ad populi voluntatem fecit vitulum aureum quem populus adorauit. Ideo dixit Moyses: *Quid fecit tibi populus ist evt induceres super eum peccatum? Exod. 32.* Heli dicitur consensisse filiorum peccatis, quia eos non correxit vt debuit; & tamen legitur

legitur, quod eos corripuit ſolo verbo, vt habetur 1. *Regum* 2. Malus princeps extitit Sedechias, qui miſit Hieremiam principibus vexandum. *Hierem.* 38. Sciebat Pilatus quod Iudæi propter inuidiam tradidiſſent Ieſum, & tamen eis propter populi fauorem conſenſit, & ipſum crucifigendum tradidit. *Ioan.* 19. Prælati mali bona nolentes agere nituntur ad peccatum inducere. Sic Roboam, qui fecit vitulos aureos, eos fecit populum adorare. 3. *Reg.* 12. Manaſſes eduxit Iudam & habitatores Hieruſalem ad operandum mala: ideo particeps fuit omnium malorum quæ fecerunt. 2. *Paral.* 33 Mali fuerunt Prælati principes Sacerdotum, qui cœcum à natiuitate à Deo liberatum ab eius laudibus volebant retrahere, eius loquelam ſimiliter impedire *Ioan.* 9. Similiter principes Sacerdotum impediebant Petrum & Ioannem, ne verbum prædicationibus ſeminarent in populo, mandantes eis ne in nomine Domini loquerentur. *Actor.* 4. Similiter Apoſtolis omnibus poſt aſcenſionem & carcerationem impedimentum intulerunt. *Actor.* 5. Prælati mali excuſationes ſubditorum, qui nō ſunt culpabiles audire nolunt, ſed eis aſpere & peruerſo ore frementes loquuntur, minas terribiles inferentes. Ideo ſæpe faciunt ſubditos eſſe rebelles. Talis fuit Hieroboam, qui vocem excuſantis & lamentantis populi audire noluit; ideo fecit eos à ſuo dominio deficere. 3. *Regum* 12. Magiſtratus ſine acceptione excuſationis Paulum & Silam furioſe fecerunt carcerari. *Actor.* 16. Ad primum

verbum Pauli princeps Sacerdotum fecit eum acriter verberari. *Actor.23* Felix & Festus Pręsides & Prælati excusationem Pauli noluerunt recipere, propter quod Paulus ad Cæsarem appellauit. *Actor.25.* Prælati mali bona subditorum rapiunt, & furantur, & destruunt, non proximorum salutē, sed suam propriam vtilitatem quærentes. De talibus dicitur: *Omnes diligunt munera, & infideles socii furum. Esa.1.* De Nabuchodonosor Principe dicitur: *Terram totam disperdidisti & populum occidisti. Esa.14.* Per Ezechiam dicitur malis Prophetis, Prælatis & Principibus, qui non pascunt gregem sibi commissum, sed deuorant; *lac comedebatis, & lana operiebamini. Ezechiel.34.* Prælati etiam mali beneficia & dignitates sibi similibus tribuunt, non attendentes ad merita, vel ad virtutes, & hoc propter pecuniam, vel propter alia lucra. Talis fuit Demetrius, qui Summum Sacerdotem constituit Alcimum. 1. *Machab.7.* Bacchides similiter elegit duos alios viros impios, & constituit eos dominos. 1. *Machab.9.* Iason qui summum Sacerdotium emit ab Antiocho, fecit ritum gentium, & ideo Simonia hæresis nuncupatur. 2. *Machab. 4.* De hac materia quære plura exempla supra *De Acceptione munerum. cap.2.* Item alia exempla *De Auaritia cap.17.* Prælati & Principes mali habendi sunt in reuerentia, & eis deferendus est honor, ratione Prælationis, non ratione vitæ: & tenēda est eorum bona doctrina, licet sit eorum vita spernēda. Nam Dauid percussit cor suum, quia præciderat oram chla-

chlamidis Saul,nec ei fecerat quicquam mali. 1.*Regum* 24. Eorum vitam pessimam non sequendam, sed non spernenda verba,docet nos Christus,cum ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi,omnia quæ vobis dixerint facite.* Sequitur: *opera autem illorum nolite facere. Matth.*24. Prælati & Principes mali grauiter à Domino puniuntur etiam in præsenti. Sic præcepit Deus Moysi suspendere omnes Principes contra solem, quia consenserant populo in peccatis. *Numer.* 25. Quia Saul fuerat malus princeps, permisit Dominus quod totum pondus belli irrueret super eum. 1. *Regum* 33. Rex Syriæ dixit seruis suis quod solum contra Regem Israel pugnarent,quoniam erat malus, vnde quidam eum inter pulmonem & stomachum traiecit sagitta, & miserrime occidit. 3. *Regum* 17. Sobna præpositus templi, qui diu credebat viuere & gaudere,audiuit à Domino: *Quid tu hic?* &c. sequitur: expellam te de statione tua, vt habetur *Esa.*22. Illi etiam mali & luxuriosi presbyteri qui contra Susannã innocentem tulerunt sententiam, diuino iudicio fuerunt lapidati.*Daniel.*13. Non solum Prælatos & Principes punit Deus, sed aliquando flagellat populum propter malum Principem & Prælatum. Nam quia David contra voluntatem Domini populum numerauit graui plagapopulus percussus est.

2. *Reg.* 24.

Caput CXI.

De Proditione & Proditoribus.

Proditor in sua proditione
Benefacientibus nescit amicari.
Carne attinentibus quærit aduersari,
Signis fraudulentis credit occultari
Ambitiosis & potentibus credit dominari:
Pacem credentibus vult insidiari,
Pœnis torquentibus debet mancipari.

PRoditores non prosunt suis benefactoribus, nec eis recta amicitia coniunguntur, inuidia vel aliquo vitio stimulati. Sic cum Dauid coram Saule, quem ab opprobrio Goliath Philistæi liberaret, psalleret, vt dæmonis vexationem minueret, Saul visus est eum lancea perforare. 1. *Regum* 18. Saluauit Dauid habitatores Ceilæ: & tamen ipsi proditores eum ad mortem tradere voluerunt. 1. *Regum* 23. Multum fideliter faciebat Vrias relationem belli, in conspectu Dauid, & tamen fecit eum portare litteras mortis. 2. *Regum* 11. Proditores, conseruationibus prauis, aduersantur consanguineis & carne vnitis. Nam Cain exiuit contra fratrem proditiose in agrum, quem postea per inuidiam interfecit. *Genes.* 4. Sic licet diuina dispensatione sit factum. Iacob pro benedictione paterna Esau supplantauit. *Genes.* 27. Amon vocauit Thamar sororē suam, quasi accepturus cibum de manu eius, quam postea violenter oppressit. Ideo mulieres

lieres non debent verbis fallacibus hominum credere, quacunq; consanguinitate iungantur, ne decipiantur. 2. *Regum* 13. Absalon fratrem suum proditiose ad conuiuium inuitauit, quem postea temulentum ex eius præcepto pueri nequiter & proditiose occiderunt. 2. *Regum* 13.

Proditores signis fallacibus suas proditiones palliare nituntur: aliquando falsis promissionibus: aliquando fraudulentis osculis: aliquando falsis & simulatis lachrymis. Nam Saul promisit Dauid filiam suam, vt à Philistæis occideretur, 1. *Regum* 18. Promisit Saul Ionathæ quod amplius non persequeretur Dauid, quem postea coram ipso statim interficere conabatur. 1. *Regum* 9. Palliatur aliquādo proditio lachrymis. Nam postquam Saul fleuisset, quasi doleret pro persecutione Dauid, & iurauit eum non persequi amplius, persecutus est eū postea sicut prius. 1. *Regum* 24. Vxor Samsonis Dalila fundebat multas lachrymas apud eum, & eum postea decepit. *Iudicum* 16. Salutatione, & osculis, & verbis, aliquando suas nequitias palliant deceptores & proditores: nam cum salutasset Ioab Amasa, & quasi osculari volens, apprehenderet mētum eius, & diceret: *Aue frater*, eum percussit gladio in inguine & occidit. 2. *Regum* 20. Illa nefanda proditio Saluatoris, quam Iudas pessimus pro triginta denariis perpetrauit, fuit salutatione præmissa & fraudulento osculo palliata. *Matth.* 36. Iudei Paulo parauerant insidias, & tamen aliud prætendebant. *Actor.* 33 Proditores propter ambitionem

dominij proditiones exercent, cupientes ex hoc alijs dominari. Sic Zambri propter appetitum dominij Elam ſuum Dominum interfecit. 3. *Reg.* 16. Sellum filius Iabes concitauit Azariam dominum ſuum, & interfecit eum: & regnauit poſt eum tantummodo vno menſe. 4. *Reg.* 20. Cum Senacherib in domo domini ſui adoraret, duo eius filij eum propter ambitionem dominij occiderunt, licet neuter eorum regnauerit, vt credebant 4. *Reg.* 19. Triphon cum ambularet cum Antiocho domino ſuo, eum doloſe & proditioſe occidit, & quod ille habuerat ſibi vſurpauit, 1. *Mach.* 13. Proditores ſub nomine pacis alios decipiunt & occidunt. Sic quidam inimici Neemiæ cum ipſo voluerunt amicitiam facere, vt eum proditioſe fraudarent. *Neem.* 6. Iſmael filius Nathaniæ & alii cum eo, cum Godolia in ſignum pacis & amicitiæ comederunt, & poſt prandium eum cum multis aliis occiderunt. *Hierem.* 41. Antiochus pacem ſimulans, pacē promiſit, & muros Hieruſalem poſtea diſſipauit. 1. *Mach.* 6. Pacifice fuit Princeps tributorum locutus, qui percuſſit poſtea ciuitatem. 1. *Machab.* 1. Triphon ſub nomine pacis Ionathan comprehendit, quem proditorie cum filijs ſuis interfecit. 1. *Mach.* 12. & 13. Apollonius in Hieruſalem ſimulans pacem, venit, & vſq; ad diem Sabbathi requieuit, ſed poſtea ex Iudæis feſtum celebrantibus maximam multitudinem interfecit. 2. *Mach.* 5. Proditores ſtatim & grauiter puniuntur à Deo, & ſunt inter alia genera peccatorum grauiter ab omnibus homi-

hominibus puniendi. Sicut fuit punitus Zambri, qui post proditionem regnauit tantummodo septẽ diebus, & postea incendio se peremit. 3. *Reg.* 30. Sic ianitores Assueri, qui contra eum voluerunt insurgere, in patibulo sunt suspensi. *Hester* 2. Iudas Machabæus illos qui per pecuniam inimicos permiserunt recedere, tanquam proditores & fratrum venditores occidit. 2. *Machab.* 10. Iudas qui Christum tradidit, post modicum abiens, laqueo se suspendit. *Matth.* 26.

CAPV CXII.

De Prosperitate mundana.

Prosperitas mundana
Est in delitiis, causa delictorum, male terminabilis,
Est in diuitiis, laqueus stultorum, vltio damnabilis,
Tenet in vitiis, dignitas honorum, parum perdurabilis:
Gaudet lætitiis, belli triumphorum, breui mora labilis:
Sed in amicitiis, globum dat multorum, dum speratur stabilis.

PRosperitas mundana, quæ est in deliciis corporis, causa est multorum peccatorum carnalium, & male terminatur. Exemplum in Sodomis, quorũ culpæ fuit causa abundantia, panes & ocij, propter quod nefanda scelera commiserũt. *Gen.* 19. *Ez.* 16.

dominij proditiones exercent, cupientes ex hoc alijs dominari. Sic Zambri propter appetitum dominij Elam suum Dominum interfecit. 3. *Reg.* 16. Sellum filius Iabes concitauit Azariam dominum suum, & interfecit eum: & regnauit post eum tantummodo vno mense. 4. *Reg.* 20. Cum Senacherib in domo domini sui adoraret, duo eius filij eum propter ambitionem dominij occiderunt, licet neuter eorum regnauerit, vt credebant 4. *Reg.* 19. Triphon cum ambularet cum Antiocho domino suo, eum dolose & proditiose occidit, & quod ille habuerat sibi vsurpauit, 1. *Mach.* 13. Proditores sub nomine pacis alios decipiunt & occidunt. Sic quidam inimici Neemiæ cum ipso voluerunt amicitiam facere, vt eum proditiose fraudarent. *Neem.* 6. Ismael filius Nathaniæ & alii cum eo, cum Godolia in signum pacis & amicitiæ comederunt, & post prandium eum cum multis aliis occiderunt. *Hierem.* 41. Antiochus pacem simulans, pacē promisit, & muros Hierusalem postea dissipauit. 1. *Mach.* 6. Pacifice fuit Princeps tributorum locutus, qui percussit postea ciuitatem. 1. *Machab.* 1. Triphon sub nomine pacis Ionathan comprehendit, quem proditorie cum filijs suis interfecit. 1. *Mach.* 12. & 13. Apollonius in Hierusalem simulans pacem, venit, & vsq; ad diem Sabbathi requieuit, sed postea ex Iudæis festum celebrantibus maximam multitudinem interfecit. 2. *Mach.* 5. Proditores statim & grauiter puniuntur à Deo; & sunt inter alia genera peccatorum grauiter ab omnibus homi-

hominibus puniendi. Sicut fuit punitus *Zambri*, qui post proditionem regnauit tantummodo septẽ diebus, & postea incendio se peremit. 3. *Reg.* 30. Sic ianitores Assueri, qui contra eum voluerunt insurgere, in patibulo sunt suspensi. *Hester* 2. Iudas Machabæus illos qui per pecuniam inimicos permiserunt recedere, tanquam proditores & fratrum venditores occidit. 2. *Machab.* 10. Iudas qui Christum tradidit, post modicum abiens, laqueo se suspendit. *Matth.* 26.

CAPV CXII.

De Prosperitate mundana.

Prosperitas mundana
Est in delitiis, causa delictorum, male terminabilis,
Est in diuitiis, laqueus stultorum, vltio damnabilis,
Tenet in vitiis, dignitas honorum, parum perdurabilis:
Gaudet lætitiis, belli triumphorum, breui mora labilis:
Sed in amicitiis, globum dat multorum, dum speratur stabilis.

PRosperitas mundana, quæ est in deliciis corporis, causa est multorum peccatorum carnalium, & male terminatur. Exemplum in Sodomis, quorũ culpæ fuit causa abundantia, panes & ocij, propter quod nefanda scelera commiserũt. *Gen.* 19. *Ez.* 16.

Filij Iambri facientibus nuptias, venerunt Iudæi cum Ionatha, multitudinem occidentes, & cõuersæ sunt nuptiæ in lamentum, & sonitus musicorum in luctum, & gaudium in mœrorem. 1. *Machab*. 9. Filiis & filiabus Iob vescentibus in domo primogeniti fratris, domus super eos cecidit, opprimens singulos, & occidens. *Ioan*. 1. Finis deliciarum est mors & odium Dei, sicut Neemias dicebat expresse: *Manducauerunt, & saturati sunt, abundauerunt delitiis, & ad iracundiã prouocantes. Neem*. 9. Ille epulo qui epulabatur quotidie splendide in breui portatus est ad inferos & torquebatur in lingua. *Luc*. 16. Prosperitas mundana quæ est in diuitiis, hominem infatuatum ad damnationem æternam inducit. Nam argentum tempore Salomonis non erat alicuius valoris, quia tanta erat in Hierusalem copia argenti quanta & lapidum. Vnde *Ecclesiast*. 47. *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum complesti argentum*. Sed plus nocuit Salomoni tanta rerum abundantia quam tanta sapientia profuisset. 3. *Reg*. 11. Abundantiam rerum temporalium despiciendam ostendit exemplum, quod dominus posuit de diuite, cuius ager vberrimos fructus afferebat. *Luc*. 12. Adolescens qui erat diues tristis recessit à Domino, quando audiuit ab eo, quod oportebat eum pauperem fieri, si esse vellet de numero perfectorum. *Matth*. 19. Diues ille qui tot abundabat diuitiis vt bysso semper & purpura vestiretur, ad tantam venit inopiam quod guttam aquæ petens, non potuit obtinere, neque obti-

obtinebit æternaliter. *Luc.* 16. Proſperitas mundana quæ eſt in honoribus & dignitatibus, hominem ligat vinculis vitiorum, ſed parum durat. Nam Saul antequam eſſet in regia dignitate, fuit bonitate decoratus: qui accepto regno, cuncta præcepta Domini præteriit. *1. Regum* 20. Dauid propter multitudinem ſubditorum ſuperbiendo, populum numerauit. 2. *Regum* 24. Ieroboam antequam eſſet rex puer bonæ indolis fuiſſe legitur qui habito regno, vitulos adorauit, & alios adorare fecit. 3. *Regum* 12. Cum corroboratus eſſet Ozias, eleuatum eſt cor eius, & voluit adolere incenſum: & quia reprehenſus à Sacerdotibus deſiſtere noluit, meruit incurrere plagam lepræ. 2. *Paralip.* 26. Manaſſes fuit peſſimus tempore regiæ dignitatis, ſed anguſtiatus & vnctus in Babylone, agens pœnitentiam, fuit bonus. 2. *Paralip.* 33. Modicum durant honores & dignitates, & male plurimum terminantur. Nam Amon qui erat ſecundus à rege, & adorabatur ab omnibus, poſt modicum tempus eſt turpiter ſuſpenſus. *Heſter.* 7. Statuam quam vidit Nabuchodonoſor percuſſam à lapide & in fauillam redactam, indicat proſperitatem mundanam in dignitatibus & honoribus nihil eſſe. *Daniel.* 2. Magnum fecerunt honorem Iudæi Domino viuenti: ſed veſperi is reuerſus eſt in Bethaniam, quia in Hieruſalem non inuenit hoſpitium: & poſt dies pauciſſimos eſt ab ipſis turpiter crucifixus & occiſus. *Ioan.* 19. Cum populus laudes diuinas acclamaſſet Herodi, ipſe Herodes ab angelo eſt percuſ-

sus. *Actor.* 12. Prosperitas mundana quæ est in victoriis & triumphis, de quibus homines cōsueuerunt lætari, frequēter est occasio peccatorum, cito labitur, & in tristitiam commutatur. Nam Gedeon excutiens frumentum in area fuit bonus, ita quod ei angelus voluit apparere; qui postea obtenta magna victoria, fuit malus. Dauid primo fuit sanctus: post multas victorias gloriosus, adulterium & homicidium perpetrauit. Ptolomæus debellato Alexandro, & habito eius capite, tribus diebus tantūmodo vixit. 1 *Machab.* 11. Prosperitas mundana in prædictis omnibus hoc solum habet quod cōgregat homini multitudinem amicorum, qui tribulationis & angustiæ tempore disperguntur, iuxta illud Poeticum:

Dum zephyri flabunt, multi comitantur amici,
At mox hos aquilo turbine flante fugat.

Hoc patet in Tobia, qui quando erat pauper, &c. *Tob.* 2. *Nota historiam:* tunc enim non legimus ab aliquo consanguineo visitatum, sed postquam fuit illuminatus & diues factus, venerunt ad eum consanguinei congaudentes. *Tob.* 11. Iob quamdiu fuit afflictus, non habuit amicum sibi seruientem, sed consolatores habuit onerosos: sed postquam Deus dedit ei duplicia, venerunt ad eum fratres ipsius ferentes, &c. *Iob. vltimo.*

Capvt CXIII.

De Prudentia & Sagacitate.

Prudentis officium:

Verba

Verba aliquando fingere, & simulare:
Discordes restringere, eosq; placare:
Iram non impingere, sed absentare:
Falsas artes restringere, atq; reprobare:
Ordinare depingere, ordinata dare:
Antequam attingere, opera probare:
Verbis multa fingere, paucaque monstrare:
Roburq; accingere, & dissimulare.

PRudentia magna est simulare & fingere verba, & vnum aliquando ostendere pro alio: Nam Abraham veniens in Ægyptum celauit veritatem & vxorem dixit esse sororem. *Genes.* 12. Simile fecit Abraham quando venit ad Abimelech regem. *Genes.* 20. Magna sagacitate vsus est Iosue, simulando fugam in obsidione vrbis Hay. *Ios.* 8. Callide cogitauerunt Gabaonitæ simulantes se venire de longinquo. *Ios.* 9. Ayoth simulans se portare pecuniam vel munera, Elgon astute decepit, vt habetur *Iudicum cap.* 3. Dauid coram Achis simulauit se fatuum, vt posset ab eo fugere. 1. *Reg.* 21. Iehu se finxit honorare Prophetas Baal, quos postea occidit. 4. *Regum* 10. Simulauit villicus pietatem erga debitores, cuius prudentiam Dominus commendauit. *Luc.* 16. Prudentis officium est per verba dulcia placare iratos & discordes. Sic prudenter placauit Abraham Loth, & sedauit iurgium inter vtriusque pastores. *Genes.* 14. Nuncij missi ad filios Ruben, prudenter locuti sunt, & illi prudenter placarunt eos. *Ios. cap.* 22. Abigail pru-

prudenter placauit Dauid iratum contra Nabal virum ſuum. *1. Regum* 25. Verba mulieris prudentis fecerunt reuocare Abſalonem ad Dauid, contra eum iratum. 2. *Regum* 14. Sapiens mulier de Abela, fecit Ioab ab obſidione recedere. 2. *Regum* 20. Filii Iſrael ſimulantes fugam caute debellauerunt tribu Beniamin. *Iudicum* 20. Prudentia eſt, cedere furori. Nam poſtquam Rebecca conſuluit filio ſuo Iacob vt obtineret benedictionem, conſuluit vt abſentaret ſe ab ira fratris ſui. *Geneſ.* 27. Exploratores quos miſit Ioſue, prudenter egerunt vt cederent furori. *Ioſ.* 2. Diſcrete prohibuit Ezechias ne populus reſponderet nuncijs regis Aſſyriorum, loquentibus blaſphemias; quia non expediebat Iudæos contra linguaces infideles litigare, *4. Reg.* 18. Prudentes cognoſcũtur in verbis, ſiue futura præconiecturando, ſiue præcongruẽtes parabolas aſſumendo, vel diſcrete loquendo, vel bonum conſilium dando. Nam Ioſeph coram Pharaone ſomnia prudenter expoſuit, & vt ſapiens bonum conſilium ipſi dedit. *Geneſ.* 41. Diſcretum & prudens conſilium dedit Ietro Moyſi, vt Prælatum eligeret in populo. *Exod.* 18. Similitudinem prudentem accepit Nathan, arguendo Dauid de peccato ſuo, vt habetur 2. *Regum* 12. Roboam fuit imprudens, qui ſenum prudens conſilium non adimpleuit, ſed iuuenum, vt habetur 3. *Regum* 12. Filius Prophetæ prudentem ſimilitudinem dedit, quando Achab repredendit & Ioſaphat commendauit. 3. *Regum* 22. Magnæ prudentiæ verbum dicit Zorobabel de forti-

fortitudine mulierum & veritatis. 3. *Esdr. 4.* Inter prudentia documenta Tobiæ fuit, quod consilium à sapiente quærebat. *Tob.* 4. Visionem Nabuchodonosor Daniel prudenter exposuit. *Dan.* 2. *&* 3. Miræ prudẽtiæ & discretionis fuerunt verba Mariæ ad angelum & ad Elisabeth. *Luc.* 1. Prudentiæ signum est dissimulare iniurias, licet cognoscat quid sit. Nam Saul dissimulabat prudenter non audire male de se loquentes, vt patet 1. *Reg.* 10. *in fin.* Cognouit Iudas dolum Nicanoris, & se prudenter extraxit. 2. *Machab.* 8. Simon cognouit dolum triphonis, & tamen fecit quod petijt, vt scandalum vitaret. 1. *Machab.* 13. Volens Paulus ire in Syriam, cognoscens paratas insidias, caute declinauit. *Act.* 17. Paulus prudenter aduertens fraudem volentiũ eum ducere in Hierusalem, Cæsarem appellauit. *Actor.* 25.

Capvt CXIV.

De Pueris bonæ indolis.

Pueri boni male agentibus sunt dissentientes:
Suis parentibus sunt obedientes:
Rebus decentibus sunt se exercentes.

PVeri bonæ indolis sunt obedientes parẽtibus, nec murmurant quando aliquid eis præcipitur. Nam Isaac non legitur murmurasse, quando pater eum voluit immolare & occidere. *Genes.* 22. Quando David debebat vngi in regem, erat puer, & pa-

ſcens oues, tanquam patri obediens. 1. *Reg.* 16. Pueri boni cognoſcuntur, ſi vitia & malas ſocietates oderunt. Nam Ioſeph crimen odiens, accuſauit fratres ſuos de crimine peſſimo. *Geneſ.* 37. Tobias cũ eſſet iunior, ſic puerilia vitia oderat, vt nihil puerile geſſerit, *Tob.* 1 Septem fratribus adoleſcentibus ſic erat odio ſacrilegium, vt crudeles ſuſtinerent pœnas. 2. *Mach.* 7. Pueri boni ſe ad bona excitãt, & Eccleſias & loca ſancta frequentant. Nam Samuel adhuc puer, miniſter erat in conſpectu Domini, vt patet 1. *Reg.* 2. & 1. *Machab.* 3. Ioas erat ſeptem annorum cum regnare cœpiſſet, & fecit bonum coram Domino. 4 *Reg.* 12. Daniel & ſocij eius ſine magiſtro legem ſeruantes, ſobrie & ſancte inter pueros gentiles vixerunt, vt clare habetur *Daniel.* 1. Ioannes Baptiſta confortabatur ſpiritu, & creſcebat, & erat in deſerto vſque ad diem oſtenſionis ſuæ. *Luc.* 2. Ieſus puer duodecennis inuentus eſt in templo inter Doctores, & deſcendit cum parentibus ſuis, ſubditus illis: omnibus pueris in exemplum. *Luc.* 2.

Capvt CXV.

De Punitione delinquentium.

Punit Deus delinquentes propter peccatum transgreſsionis obedientiæ non ſequendo:
Monſtrationis incontinentiæ laſciuiendo:
Elationis & excellentiæ ſuperbiendo:

Rebel-

Rebellionis suæ potentia, vana colendo:
Turbationis impatientia iram sequendo:
Detractionis & inuidentia murmur ferendo.
Exarsionis & affluentia in appetendo.
Repletionis & corpulentia in comedendo:
Præsumptionis irreuerentia in deridendo.
Ostensionis & præferentia se proferendo.
Omißionis & negligentia non exercendo.

PVnit Deus peccatum inobedientiæ. Nam primi parentes grauiter puniti sunt propter peccatum inobedientiæ, quod credebant nō grauiter puniri. *Genes.3.* Colligens ligna in Sabbatho contra Dei præceptum, fuit de Dei nutu à populo lapidatus. *Numer.* 15. Quia Saul fuit inobediens Deo in cæde Amalech, reprobatus est à regno 1. *Regum* 15. Vir Dei qui contra voluntatem Domini comedit panem in domo Prophetæ, fuit à leone occisus. 3. *Regum* 13. Ciuitatem Sanctam permisit Deus destrui & populum captiuari, propter inobedientiam. 4. *Regum* 25. Punit peccatum luxuriæ. Nam originali mundo non pepercit, sed penè totum aquis diluuii deleuit: quia omnis caro corruperat viam suam luxuriose viuendo. *Genes.6. & 7.* Quinque ciuitates fetenti sulphure & igni deletæ sunt, propter peccatum contra naturam. *Genes.* 19. Propter peccatum commissum in vxorem Leuitæ, quasi tota tribus Beniamin fuit destructa, vt clare habetur. *Iudic. cap.* 2. Punit Deus peccatum superbiæ. Nam Pharao cum Ægyptijs sub-

ſubmerſi ſunt propter ſuperbiam. *Exod.*14. Septuaginta millia hominum mortui ſunt, propter ſuperbiam Dauid, qui fecerat numerari populum. 2.*Regum* 24. Antiochus ſuperbus fuit graui plaga percuſſus, ita vt vermibus ſcaturiret, vt patet 2.*Machab.*9. Herodes ſuperbus, cui populus acclamabat honores diuinos, percuſſus ab angelo à vermibus eſt commeſtus. *Actor.* 12. Punit Deus peccatum idololatriæ. Nam propter idolum quod adorauerunt idololatræ, ceciderunt vna die viginti tria millia hominum. *Exod.*32. Egreſſus eſt ignis & deuorauit Nadab & Abiu, quia obtulerunt ignem alienum. *Leuit.*10. Punit Deus peccatum iræ. Nam blaſphemus qui blaſphemauerat Dominum, lapidatus eſt à populo. *Leuit.*24. Seruus nequam qui noluit dimittere proximo ſuo, miſſus eſt in carcerem donec redderet vniuerſum debitum. *Matth.* 18. Punit Deus peccatum murmurationis. Nam murmurante populo, egreſſus eſt ignis, & deuorauit caſtra, vt patet *Numer.* 11. Maria percuſſa eſt lepra, quia contra Moyſen murmurauit. *Numer.* 12. Serpentes ignitos miſit Dominus in populum murmurantem. Punit Deus peccatum Auaritiæ. Nam Achior cum ſupellectili ſua periit, quia de anathemate per auaritiam tulit. *Ioſ.*7. Grauiter punitus eſt Giezi, qui munera à Naaman propter auaritiam acceperat. 4. *Reg.* 5. Heliodorus fuit male flagellatus, quia theſaurum viduæ ſpoliare voluit, 2.*Machab.*3. Auaritia Ananiæ & Saphyræ fuit propter peccatum graui punitione punita. *Actor.*5.

Punit

Punit Deus peccatum gulæ, vt patet in primis parentibus, comedentibus pomum vetitum. *Genes.3.* Filij Heli, qui violenter tulerant carnes crudas vt lautius pararent, quos pater eorum non corripuerat sicut debuit; grauiter cum patre sunt puniti à Domino, vt bene patet *1. Regum 4.* Punit Deus peccatum irreuerentiæ ad Deum & ad homines. Nam Ozias irreuerenter tangentem arcam Domini, vt iuuaret, percussus est à Domino, & mirabiliter mortuus est, vt patet *2. Reg. 6.* Quadraginta duo pueri ab vrsis lacerati; quia irreuerenter Heliseum deridebant, *4. Regum 2.* Ozias quia ad modum Sacerdotum voluit adolere; non exhibens sacrificio reuerentiam, est factus leprosus. *2. Paralip. 26.* Punit Deus peccatum vanæ gloriæ. Nam Ezechias qui ostendit thesauros suos nunciis regis Babyloniæ, omnes Dei sententia amisit, vt patet *4. Regum 20.* Quia eleuatæ sunt filiæ Sion; erit pro suaui odore fœtor. *Esa. 3.* Punit Deus peccatum Acediæ. Nam seruum inutilem qui talentum sibi commissum multiplicare non studuit, præcepit Dominus in tenebras mitti exteriores & acriter puniri, vt patet *Matth. 15.* De hac materia quære plura exempla *de Acedia, videlicet cap. 3.*

CAPVT CXVI.

De Pusillanimitate.

Pusillanimes & timidi,
Parua timentes magna sortiuntur.

Praue mordentes, murmura sequuntur:
Cuncta pauentes, timidi feruntur.
Bella gerentes, sapius vincuntur.

PVsillanimes dum timent minas, vincuntur & ruunt in magna pericula. Nam Loth qui debuit saluari in monte, cecidit postea in incestum & stuprum filiarum. *Genes.* 19. Sedechias dum timuit displicere principibus, in mortem Hieremiæ consensit. *Hierem.* 38. Darius rex Persarum timens contradicere satrapis, misit Danielem in lacum leonum. *Daniel.* 6 *&* 14. Dum Petrus timuit vocem mulieris, Christum negauit, vt habetur *Matth.* 26. Pusillanimes murmurare solent: sicut filij Israel quãdo viderũt Ægyptios veniẽtes post se, non attendẽtes miracula Dei, timẽtes murmurare cæperũt. *Exod.* 14. Perlato ab exploratoribus, terræ promissionis cultores esse fortissimos, murmurauit populus. *Numer.* 14. Pusillanimes omnia timent, etiam non timenda. Nam filii Israel audientes vocem Domini dixerunt, timentes, Moysi: *Non loquetur nobis Dominus, loquere tu nobis. Exod.* 2 . Balaach timens Israel, misit ad Balaam, plus confidens in verbis quam in armis. *Numer.* 22. Gabaonitæ dixerunt ad Iosue, ad eum venientes, & fecerunt pacta quę ipse voluit. *Ios.* 9. Videns Petrus ventum validum, timuit, quando super mare ad Dominum ambula- . *Matth.* 13. Timuisse videtur Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, quasi nõ audiens venire die. *Ioan.* 3. Arguit Dominus discipulos, qui ipso præsente

sente in mari fluctuantes timebant. *Matth.* 8. Discipuli timentes, Christum reliquerunt, & adolescens sindone nudus aufugit. *Marc.* 14. Cæci nati parentes timidi responderunt: quia timebant extra synagogam fieri, vt habetur *Ioan.* 9. Pusillanimes esse in præliis periculosum est. Nam postquam filii Hay fugauerunt filios Israel, & mortui sunt triginta sex homines, expauit cor populi, & adinstar aquæ liquefactus est, *Iosue cap.* 7. Gedeon pugnaturus dixit exercitui suo: *Qui formidolosus est reuertatur:* & reuersa sunt duodecim millia. *Iudicum cap.* 7. Israelitæ audientes Goliath, timuerunt nimis, & fugierunt præ timore. 1. *Regum* 17. Saul videns castra Philistinorum, timuit, & expauit cor eius, & ibi occubuit, vt optime apparet, 1. *Regum* 28. Roboam rudis & corde pauido, non potuit resistere exercitui Ieroboam, vt clare habetur 2. *Paralip.* 13. Mortuo Holoferne ipsius exercitus est solo timore fugatus. *Iudith* 14. Videns Iudas Machabæus quod defluxit exercitus eius, & bellum vrgeret contra eum, fractus est corde, & in bello cecidit, nec alibi legitur timuisse, vt habetur 1. *Machab.* 9.

CAPVT CXVII.

De Sabbati obseruatione.

Sabbathi & festiuis diebus debent homines:
Quiescentes nihil operari vanitatis.

Delinquentes, male tormentari pro peccatis.
Attendentes, verba prædicare veritatis.
Omnes gentes, rebus occupari sanctitatis.

SAbbathum interpretatur *quies*, quia in Sabbathis seu Festis debet homo quiescere ab omni opere seruili, & Festa custodire. Quia requieuit Dominus die septimo ab omni opere suo quod patrarat. *Genes.* 1. Ob hanc causam filii Israel colligebant, Manna die festo in duplo, vt Sabbatho feriarentur. Inter præcepta decalogi, solius mandati de obseruantia Sabbathi causa redditur. *Exod.* 20. Ita Iudæi custodiebant Sabbathum, quod nolebant se defendere ab impugnatoribus. 1. *Mach.* 1. Mulieres sanctæ parauerunt aromata ad vngendum Christum, sed Sabbatho siluerunt, vt habetur *Marc.* 16. In huius figura requieuit Dominus die Sabbatho in sepulchro. *Luc.* 23. Sabbathum non obseruantes debent corripi & puniri. Nam colligens ligna in Sabbatho, iussu Domini fuit lapidatus. *Numer.* 15. Arguit Neemias calcantes torcularia & portantes onera in die Sabbathi. *Neem.* 13. Sabbathi & Festorum nunciatio debet populo nunciari, & in Festis Verbum Dei prædicari. Ideo hoc præceptum de custodia Sabbathi frequenter repetitur. *Exod.* 20. Nicanorem volentem præliari die Sabbathi, Iudæi sequentes eum instruxerunt, Sabbathum obseruare. 2. *Mach.* 15. Ob hanc causam dicit Iacobus: Ignorantes voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur

guntur. Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, vbi per omne Sabbathum ſacra Scripta leguntur. *Actor.15.* Dicitur etiam quod Apoſtoli loquebantur cum mulieribus quæ conuenerant die Sabbathorum. *Actor.16.* Sabbatho vel feſtis diebus debet homo multa bona facere, vel plura, quam ferialibus diebus. Nam die Sabbathi offerebantur duo agni, & aliis diebus vnus, vt patet *Numer.28.* Populus Iſrael videns quod hoſtes die Sabbathi eos impugnarent, melius cogitauerunt ſe defendere; vt oſtendatur quod iſtis diebus magis reſiſtendum ſit tentationibus vel impugnationibus. 1. *Machab* 2. Chriſtus multa miracula fecit in Sabbato, vt patet per omnia Euangelia. Eſt enim ratio prima, vt ſe oſtenderet Dominum Sabbati, quod filius hominis eſt etiam Dominus Sabbati. *Matth.12.* Secunda ratio eſt, vt intelligeretur, quod à malo ſemper ceſſandum ſit, non à bono, ſed Sabbato liceat etiam benefacere. *Matth.12 Lucæ14.* Tertia ratio eſt, vt plures ædificarentur ex viſione miraculi, vt patet in ſanatione inclinatæ fœminæ. *Luc.13.*

CAPVT CXVIII.

De Sapientia mulieris.

Sapientes debent eſſe mulieres,
Filialem inducentes exhortationem,

Coniugalem exercentes operationem:
Vidualem sustinentes desolationem:
Virginalem offerentes illibationem:
Corporalem impedientes violationem.

SApientes mulieres sunt, quæ filios suos instruunt, & eos bene corrigunt. Nam Sara prudenter procurans, intellexit ludum Ismaelis cum filio suo Isaac non esse bonū, & voluit Dominus, quod Abraham acquiesceret voluntati eius: *Genes.* 21. Rebecca fuit valde argumentosa ad instruendum Iacob: vt haberet benedictionem, *Genes.* 27. Caute etiam docuit ipsa Iacob, vt absconderet se ab ira patris sui, *Genes.* 28. Bersabee mater Salomonis sapienter verba proposuit, vt filius eius regnaret, 3. *Reg.* 1. Vna illarum duarum meretricum sapienter allegauit Salomoni, vt filius eius non occideretur. 3. *Regum* 3. Mulier Sunamitis libenter voluit propter Giezi dimittere Heliseum, vt filium suscitaret, 4. *Regum* 4. Sapientes debent esse mulieres coniugatæ, & prudenter viris & aliis respondere. Nam Delbora vxor Lapidoth sapienter docuit Barach populum liberare de inimicis, *Iudicum* 4. Anna vxor Helcanæ sapienter se excusauit coram Heli sacerdote, 1. *Regum* 1. Abigail vxor Nabal per sapientem eloquentiam suam, liberauit virum suum à morte, 1. *Regum* 22. Holda vxor Sellum sapienter confortauit Iosiam, & populo mala ventura prædixit, 4. *Regum* 22. Hester vxor Assueri Regis, cum sapienti cautela fecit petitionem suam Regi.

Hester,

Hester.7. Elizabeth vxor Zachariæ ſapienter cognouit aduentum matris Dei filii, vt habetur *Luc* 1. Vxor Pilati ſapienter locuta eſt, & prudenter egiſſet ſi ei credidiſſet, *Matth.27.* Sapientia debet eſſe in viduis ad inſtruendum alias. Nam aſtuta fuit Noemi vidua, docens Ruth nurum ſuam alienigenam quomodo nubere poſſet Booz nobili & potenti, vt habetur *Ruth cap.30.* Mulier vidua Thecuites ſapienter induxit Dauid, vt filium Abſolon reuocaret exulem, 2. *Regum* 14. Regina Saba quæ poſt mortem viri regnabat, venit videre ſapientiam Salomonis & diſcere, 3. *Regum* 10. Miram prudentiam & conſtantiam oſtendit Iudith, populum docendo, & Holofernem occidendo. *Iudith 8. & 13.* Sapientes multum oportet eſſe virgines in orando, loquendo, & conuerſando. Nam Sara virgo filia Raguelis, ſapienter Dominum orauit vt eam de opprobrio liberaret. *Tob.3.* Tam tacendo quam loquendo patet beatam Mariam fuiſſe virginem prudentem. Nam parum & cum paucis locuta eſt: Primo cum angelo, diſcrete quærendo, & diſcretius acquieſcendo, dicens: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* & iterum: *Ecce ancilla Domini. Fiat mihi ſecundũ verbum tuum. Luc.1.* Secundo locuta eſt cũ Eliſabeth, ipſam ſalutando. Et nota quod poſt magnas laudes Eliſabeth, nihil ei reſpondit, ſed Deum laudauit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, vt habetur *Luc.1.* Tertio locuta eſt cum filio, dulciter interrogando eum, dicens: *Fili quid feciſti nobis ſic: quia ego*

& pater tuus, dolentes quærebamus te. Luc. 2. Quarto locuta est cum eodem filio, dulciter intercedendo pro verecundis & pauperibus sponsis, dicens ex compassione: *Fili, vinum non habent. Ioan.* 2. Quinto locuta est cum ministris, eos instruendo, dicẽs: *Quodcunq; dixerit vobis facite.* Ioan. 2. Sapientes sunt aliquando peccatrices. Nam Raab meretrix nuncios Iosuæ prudenter abscondit. *Ios.* 2. Maria Magdalena semper ad pedes Christi stetit: quia ibi primo remissionem inuenit, secundo exhibuit Christo debitam & deuotam reuerentiam lauando, tergendo, vngendo pedes Saluatoris. *Luc.* 7. Tertio audiuit diuinam sapientiam: quia stabat ad pedes Domini, & audiebat verbum illius. *Luc.* 10. Quarto obtinuit fratris sui Lazari resuscitationem & vitam. *Ioan.* 11.

CAPVT CXIX.

De Sacra Scriptura.

Sacra Scriptura continet,
Testamentum vetustatis contentiuum figurarum,
Sacramentum nouitatis, expreßiuum doctrinarum,

SAcra Scriptura diuiditur in Vetus & Nouum Testamentum. Vetus autem Testamentum, diuiditur in quatuor pertes, secundum quatuor quæ pertinent ad vitam spiritualem, in qua per scripturam

ram reformemur. Ideo quatuor ſunt partes Scripturæ Veteris Teſtamenti, ſcilicet,

Lex Præceptorum.

Hiſtoria exemplorum.

Sapientia monitionum.

Prophetia prædicationum.

Vita namque ſpiritualis

In præceptis inſtruitur.

In exemplis oſtenditur.

In monitionibus promouetur.

In prædicationibus perficitur.

Lex igitur præceptorum continet quinque libros, ſecundum quinque quæ requirũtur in præceptis. Primo quinque præcepta traduntur. Ideo primo ponitur liber, vbi legem recipientium generatio ſcribitur, ſcil. *Geneſ.* 5. Secundo quo præcepta traduntur: ideo ponitur ſecundus liber, vbi præcepta legis traduntur, ſcil. *Exod.* 20. Tertio, qui ſunt obſeruantiæ promotores: vbi ponitur tertius liber, vbi miniſtri Eccleſiæ ſtatuuntur, ſcilicet *Leuiticus*. Quarto, qui ſunt idonei executores: ideo ponitur quartus liber, vbi infirma à fortibus diſtinguuntur, ſcilicet *Numeri*. Quinto, qui ſint dubiorum declaratores: ideo ponitur quintus liber, vbi per Moyſen declarantur dubia, ſcilicet *Deuteronomion*. Scripturæ ſacræ Veteris Teſtamenti pars ſecunda, ſcilicet hiſtoria exemplorum diuiditur: quia quædam ſunt exempla Prælatorum; & quædam Subditorum. Prælatorum exempla ſunt ſex. Nam debent primo, ſubditos in finem dirigere:

quod ostenditur per *Iosue*, qui populum direxit in terram promissionis, *Ios.2.* Secundo, lites dissoluere; ideo diuersi iudices diuersis temporibus ordinantur, *sub libro Iudicum per tot.* Tertio, subditos instruere. Ideo Noemi instruxit Ruth, quomodo nuberet: quod totum ostenditur *in libro Ruth. cap. 3.* Quarto subditos defendere, ideo à bellis temporalibus Reges subditos, protegunt: quod ostenditur in *libris Regum*, & à pluribus, scil. ab his qui legem defendũt, vt *Mach.* De quibus dicitur *in libris Machabaorũ.* Quinto destructa reficere; ideo Neemias reædificabat muros Hierusalem, vt patet in *Neemia.* Et Esdras reædificabat templũ quod erat ab hostibus prophanatum, vt patet 1. *Esd. 3.* Sexto debent finaliter Deo adhærere; ideo *Iob* adhæsit Deo in prosperis & aduersis. *In libro Iob.* Exempla vero Subditorum ostenduntur in tribus. Nam debent subditi primo, seruare patientiam in aduersis. Quod docemur per *Tobiam*, qui excœcatus sustinuit patienter cœcitatem, vt patet *Tob.2.* Secundo debent habere constantiam in aduersis. Ideo *Iudith*, ponens se in periculis, constanter hostes deiecit. *Iudith.13.* Tertio debent habere beneuolentiam in prosperis, Ideo *Hester* sublimis, populo beneuola fuit, *Hest.4. & infra.*

Scripturæ sacræ tertia pars est Sapientiæ monitionum, quæ diuiditur. Quia quædam est admonitio generalis, qua monentur vniuersi cuiuscunque conditionis existant, vt habetur in *libro Ecclesiast.* Alia est admonitio specialis, & hæc est aliquãdo Præ-

do Prælatorum, qui debent seruare iustitiam: & hoc ostendit *Salomon*, dicens: *Diligite iustitiã, &c.* Et hoc totum continetur *in libro Sapientiæ.* Alia est admonitio subditorum, & hæc est triplex, secundum triplicem differentiam subditorum. Nã prima est incipientium. Et hoc ponit *Salomon*, dirigens sermones suos ad paruulos, vt patet *in libro Prouerbiorum.* Secunda est proficientium, in qua ostenditur vanitas temporalium, quam dimittunt proficientes. Et hoc totum continetur. *in libro Ecclesiastic.* Tertia est perfectorum, in qua vir perfectus in contemplationibus eruditur multis modis. Et hoc *in libro Canticorum.* Scripturæ sacræ pars quarta, scilicet *Prophetia*, diuiditur: quia aut prædicantur opera Christi, quæ est prima propheria, quę prædicit eius incarnationem, dicens: *Ecce virgo concipiet.* Et hic *Esaias.* & eius passionem, dicens: *Ecce quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimas.* Et hic est *Hieremias.* Tertius Propheta prædicit eius ascensionem: *Aquila grandis alarum magnarum venit, &c.* Et hic est *Ezechiel.* Quartus, Spiritus sancti missionem, dicens: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, &c.* Et hic est *Dauid in libro Psalmorum.* Quintus finalis iudicii retributionem, dicẽs: *Aperti sunt cœli, & iudicati sunt mortui.* Hic est *Daniel.* Aut prædicantur opera filiorũ Christi. Ideo opera duodecim tribuum filiorum prædicantur *in lib.* 12. *Prophetarum.* Scriptura S. Noui Testamenti diuiditur: quia in Euangeliis continẽtur opera Christi & verba. Quia primus describit eius humanitatem,

dicens:

dicens: *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid filii Abraham. Abraham autem genuit Isaac, &c*. Hic est *Matthæus*. Secundus prędicat eius predicationem dicens: *Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini.* Hic est *Marcus*. Tertius sacrificii passionem, dicens: *Fuit in diebus Herodis regis.* &c. Hic est *Lucas*: Quartus eius diuinitatem, dicens: *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c*. Et hic est *Ioannes*. Opera vero Apostolorum recitantur in libro quem fecit Lucas post Christi passionem. Et hic est *Actus Apostolorum*. Verba Apostolorum continentur *in epistolis Pauli & in Canonicis*, vbi fideles omnimode instruuntur. Futura pericula & annunciationes eorum in septem visionibus Ioannis. Et hęc est *Apocalypsis*. Et hæc est sufficientia totius Sacræ Scripturæ & omnium eius librorum. Nam cum Christus tentaretur à diabolo, tribus verbis Sacræ Scripturæ se defendit. *Matth. 4*.

CAPVT CXX.

De Sepultura.

Sepultura tempore mortis est eligenda voluntate, loco venerabili:
Exercenda pietate, opere laudabili:
Negligenda æquitate, viro indomabili:
Exhibenda charitate parente laudabili.

SEpulturam debet homo eligere in loco sancto & honorabili, & diligenter ante mortem de ea cogi-

cogitare. Ideo Abraham cum diligentia emit agrũ, vt mulierem ibi sepeliret. *Genes.23.* Noluit Iacob sepeliri cum malis, sed dixit ad Ioseph, vt eum cum patribus sepeliret. *Genes.49.* Hoc ipsum petiit instante morte Ioseph à fratribus suis & filiis suis. *Genes.5.* dicens: *Visitabit vos Deus virtutum, exportate ossa mea hinc vobiscum.* Hoc Moyses impleuit, quando exiens de Ægypto tulit ossa Ioseph. *Exod.* 13. Apparet Dominum de sepultura curasse quando dixit Iudæ: *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Joan.* 12. Vnde Tobias senior dixit Deo: *Nunc & Domine fac, & præcipe in pace deponi spiritum meum. Tob.3.* Sepelire mortuos opus pietatis & commendabile est, & opus misericordiæ; ideo Dauid commendauit viros Iabes, qui fecerunt misericordiam cum Saul & filiis, sepeliendo eos, vt habetur *1. Regum* 31. *&* 2. *Regum* 2. Commendatur Tobias, quia libenter sepeliebat occisos in bello. *Tob.*1. *&* 2. Erga sepulturam mortuorum impii Menelai, Iudæi multum liberales fuerunt. 2. *Mach.*4. Post prælium contra Gorgiam, pie venit Iudas, vt defunctorum corpora sepeliret. 2. *Machab.*12. Ioseph & Nicodemus qui sepelierunt Iesum in monumento exciso de petra. *Matth.*27. Viri timorati sepelierunt Stephanum, & fecerunt planctum magnum super eum. *Actor.*8. Sepultura indigni sunt rebelles & inobedientes fidei. Ideo vir Dei caruit sepultura, vt habetur *3. Regum* 13. Sepulturam debent filii cum solicitudine parentibus exhibere. Nam inter monita quæ Tobias dedit filio suo, fuit

hoc

hoc, vbi dixit: *Cum acceperit Deus animam meam, Corpus meum sepeli. Tob.4.* Ideo spirituales filij, scilicet discipuli Ioannis, sepelierunt corpus eius. *Matth.14 & Marci 6.*

Capvt CXXI.

De Silentio & eius operatione.

Silere debent specialiter mulieres obloquentes, noxam fugiendo;
Intima non ostendentes, secreta tenendo
Et conuitia tenentes, his non respondendo
Clericaliter viuentes, sacris aßistendo, hominesq; sapientes in tempore tacendo.

Silentium tenere debent mulieres, quia earum loquacitas periculosa est; ideo dedit Dominus præceptum Adæ & Euæ, vt mulier minus loquendi materiam haberet, sed à viro discendi. His igitur prætermissis, Eua garriendo & sæpissime serpenti respondẽdo, per nimiam loquacitatem paradisum perdit. *Genes.3.* Vxor Iob stulte locuta est, quando Iob fuit à Deo percussus; ideo Iob reprehendit eam. *Iob 2.* Silere debent homines secreta sua & aliorum, nec ea reuelare, maxime mulieribus: quia nesciunt secreta tacere. Nam quia Samson reuelauit vxori secretum, ipsa in eius damnum manifestauit. *Iudicum 14.* Item quia ipse indicauit suæ secretum fortitudinis, ipsa prodente, fortitudinem & vitam

& vitam amisit. *Iudicum 16.* Silere debet quilibet ad opprobria, tacendo nec ad dicta respondendo. Nam quia Cham opprobrium patris fratribus nunciauit, à patre maledictus fuit. *Genes.9.* Ob hanc causam silebat Saul & dissimulabat se audire male loquentes Deo, eo vt non responderet eis. 1. *Reg.10.in fin.* Tobias auditis verbis iniuriosis ab vxore, non ei respondit, vt non litigaret. *Tob.2.* Cum ancilla Saræ dixisset opprobrium, ipsa tacuit & cessit. *Tob.3.* Mandauit Ezechias vt non responderet aliquis Rapsaci comminanti, & siluerunt omnes. *Esa.36.* Falsis criminibus Susanna non respondit, sed flens in cœlum aspexit: & ideo liberata fuit. *Daniel.13.* Maria peccatrix in domo Simonis tacuit. Ideo Dominus ipsam commendauit Simoni loquenti *Luc.7.* Conquerenti sorori nihil respondit Magdalena: ideo Christus eius aduocatus fuit, vt habetur *Luc.10.* Discipulis in eam frementibus propter effusionem vnguenti, etiam siluit, & Christus eam defendit. *Marc.14.* Mulier in adulterio deprehensa, accusantibus non respondit. Ideo Christus eam absoluit, vt habetur *Joan.8.*

Silentium obseruare debent Religiosi & Clerici, & viri spirituales. Et maxime & præcipue in Ecclesia. Vnde postquam locutus est Dominus ad Moysen, impeditioris & tardioris linguæ fuit. *Exod. cap.4.* Anna mater Samuelis in templo loquebatur 1. *Regum 1.* Iob sanctus reprehendit se de locutione, dicens: *Insipienter locutus sum, quod vtinam tacuissem*

tacuissem. Job vltimo. Hieremias in vtero sanctificatus, excusabat se, dicens: *Nescio loqui, quia puer ego sum. Ierem.* 1. Locuturus Paulus in synagoga, silentium indixit. vbi non est auditus, non debet ostēdi sermo. *Actor.* 13. Silere debent sapientes vsque ad tempus congruum. Nam cum Abigail placauisset Dauid, non indicauit viro suo verbum; sed siluit vsque mene, cum digessisset vinum. 1. *Regum* 25. Diu tacuit Hester, non loquendo de populo suo, ne suspecta fieret regi; sed suo tempore est locuta. *Hest.* 5. 6. & 7. Beata virgo Maria, audita salutatione, prius tacuit & cogitauit, postea modeste respondit. *Luc.* 1.

Capvt CXXII.

De Societate bonorum.

Societas bona habet ab imminentibus iam liberatos efficere:
Conuenientibus locupletatos reficere:
Sanctè viuentibus associatos perficere.

Societas bonorum liberat homines à periculis. Nam si fuissent inuenti decem iusti in quinque ciuitatibus Sodomorū, pepercisset Deus vniuersis, & euasissent. *Genes.* 18. Homines de Lachis occisi fuerunt, quia non habebant societatem cum aliquo bono. *Iudic.* 18. Raphaelis societas quā habuit Tobias, ipsum de multis periculis liberauit. *Tob.* 5. *& infra.* Occasione Danielis boni & prudentis

dentis Nabuchodonoſor ariolis & ſapientibus Babylonis, vt patet *Daniel.* 2. Propter ſocietatem Pauli omnes de naui in naufragio ſunt ſaluati. *Act.* 27. Societas bona cauſa eſt abundantiæ. Nam ditatus eſt Laban propter ſocietatem Iacob, *Geneſ.* 30. Benedixit Dominus domui Ægypti propter Ioſeph, & multiplicauit ſubſtantiam. *Geneſ.* 39. Propter Ioſaphat bonum impetrauit Heliſeus aquam exercitui 4. *Reg.* 3. In huius figura ſuper diſcipulos congregatos Spiritus ſanctus abundanter deſcendit. *Act.* 2. Societas bonorum bonos facit homines. Nam Saul cum Prophetis prophetare cœpit. 1. *Reg.* 10. Ideo homines Deum timentes volebat ſecum habere Tobias, vt patet *Tobiæ* 2. Illi ſeptem fratres cum bona matre iuncti, inuicem ſe hortabantur ad bonum, 2. *Mach.* 7. *c.* Quamdiu fuit Petrus cum diſcipulis, bonus erat, ſed cum fuit Iudæis aſſociatus, Chriſtum negauit. *Mat.* 26. Cæcus illuminatus à Chriſto, è ſynagoga eiectus fuit inter fideles à Chriſto receptus. *Ioan.* 10. Paulus poſt ſuam conuerſionem tentabat ſe iungere Apoſtolis vt fieret melior. *Act.* 9.

CAPVT CXXIII.

De malorum Societate.

Societas malorum eſt effectus tentationum humanarum.

Diſtractiua conſolationum diuinarum.

Illatiua turbationum mundanarum.
Causatiua perturbationum illatarum.
Inductiua detestationum & culparum.
Destructiua faderationum perfectarum.

SOcietas malorum vitanda est: ne homo cum eis malus efficiatur. Ideo salubriter exiuit Abraham de Chaldea, vbi erat homines idololatræ *Gen* 12. Non solum corpore, sed mente debet quis vitare malam societatem. Ideo dixit Dominus Abraam cum iam exisset corpore: *Egredere de terra tua.* & nota ibidem promissiones, *Gen.* 12. Noluit Iacob ambulare cum fratre malo, licet esset placatus & signa dilectionis ostenderet. *Gen.* 33. Hostes filiorum Israel voluerunt cum eis ædificare: sed ipsi bono vsi consilio, noluerunt. 1. *Esdr.* 3. Cum irent omnes ad simulacra Tobias fugiebat solus in Hierusalem vitans eorum consortia *Tob.* 1. Societas mala causa est perdendi consolationes diuinas. Nam donec Abraam fuit inter Chaldæos, non legitur illas consolationes habuisse; sed illis relictis habuit plures. *Genes.* 12. 15. 17. *c.* Fugientem Iacob malum fratrem Dominus multipliciter confortauit. *Gen.* 28. Societas malorum ducit homines ad multa pericula. Nam propter societatem & habitationem quam Loth habuit cum illis de Sodomæ debellatus est, & captus, & plura sustinuit. *Genesis* 14. Ideo præcepit Moyses populo recedere de tabernaculis impiorum, ne cum eis perirent. *Numer.* 16. Occasione Achior qui tulit de anathe-

mate

mate, fuit populus in prœlio superatus. *Iosue* 7. Propter quosdam qui comiserunt facinus, fuerunt quasi omnes filij Beniamin destructi. *Iud*.20. Propter quosdam malos de domo Saul, facta est fames in terra donec occisi sunt. 2. *Reg*.21. Iosaphat fuit fere occisus, vadens cum filio Achab ad prœlium 4. *Reg*.3. Homo Dei dixit ad Amasum, quod debellaretur si iret cum Israel, qui tunc erat malus. 2. *Paralip*. 20. Quoniam Judas Machabæus fuit sociatus Romanis, tunc, & non prius debellatus fuit. 1. *Machabæo*. 19. Societas malorum causa est multarum iniuriarum. Nam Loth multas iniurias & iacturas sustinuit à Sodomis, cum quibus habitabat, vt patet *Genes*. 49. Quidam mali sic concitauerunt bonos, vt Paulum facerent sine causa lapidari. *Actuum* 14. Demetrius argentarius in Epheso omnes homines bonos & deuotos malitiose turbauit. *Actuum* 19 Societas mala causa est peccatorum multorum, nam amicitia quam habuit Amnō cum *Ioab*, dedit ei viam, vt opprimeret Thamar sororem suam. *Nota historiam* 2. *Regum*. 13. Multi prius nescientes rebellionem, postquam adhæserunt Absalon, regi suo rebellauerunt 2. *Reg*. 15. Ozias fecit malum coram Domino, quia erat gener & socius domus Achab pessimi. 2. *Paralip*. 26. Amicitia duorum malorum senum fuit causa falsi impositi criminis Susānæ *Dan*. 13 Petrus quādo fuit cum ministris Iudæorum, Christū negauit: sed quando fuit cum discipulis est confessus, *Mat*. 26. Helymas magus quærebat auertere procon-

lulem à fide: ideo ei aſſociabat. *Act.* 13. Societas malorum facit eos concordes in malo, vt noceant bonis. nam Balaach & Balaam concordauerunt ſe ad maledicendum populo Dei; vt habetur *Nu.* 22. Adomiboſeth & quatuor reges concordes fuerunt contra Sabaonitas qui fecerunt pacem cum Joſue. *Ioſue* 10. *c.* Iabin rex & alij reges contra Ioſue & filios Iſrael pugnauerunt, qui omnes ab eis percuſſi ſunt, & numerãtur triginta & vnus, qui perierunt *Ioſue* 12. *c.* Madian & Amalech & cæteri orientales contra populum Domini. *Iudic.* 9. In paſſione Domini maledicti homines, ſcilicet Herodes & Pilatus facti ſunt amici, Vt optime patet *Lucæ* 23. *capite.*

Capvt CXXIV.

De Spe & Longanimitate.

Sperare debent homines petitorum promiſſiones quamuis differantur.

Aduerſorum conſolationes quando tribulantur.

Triumphorum coronationes, quando prœliantur.

SPerare debet homo bonum repromiſſum, licet differatur. Nam multis annis expectauit Abraham filium, quia centenarius erat quando natus eſt ei Iſaac. *Gene.* 21. Ad promiſſionem factam Abrahæ vſque ad ingreſſum ſeminis ſui in terram promiſſionis fluxerunt anni. 460. *Gen.* 15. Erat Simeon in Hieruſalem, expectans conſolationem Iſrael,

Iſrael,id eſt,aduentum Chriſti. *Luc.2.* Aſcenſurus Chriſtus in cœlum præcepit Apoſtolis ne diſcederent,ſed expectarent promiſſum patris. *Act.*1. Sperare debent homines tribulati, recipere conſolationem. Nam promiſit Deus Iſrael flagellari longo tempore in Ægypto & in deſerto,antequam veniret ad terram promiſſionis, quæ erat patribus repromiſſa,vt patet *Exod.per totum,& Num.per totum* Afflictus corpore, ſpoliatus rebus, orbatus filijs ſic dicebat Iob: *Si occiderit me , in ipſo ſperabo. Iob.* *13.c.* Parentibus Tobiæ irridentibus,eũ & dicentibus: *Vbi eſt ſpes tua?* reſpondit *Filii ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus quam daturus eſt dominus his qui fidem non mutauerunt. Tobiæ* 2. Cum Suſanna eſſet morti condemnata, erat cor eius in domino fiduciam habens. *Dan.*13. Vnus illorum ſeptem fratrum cruciatus à tyranno ait: De cælo membra iſta poſſideo,ſcilicet propter legem Dei ipſa deſpicio,quia ipſa me recepturum ſpero 2. *Machab.* 7. Sperare debet homo victoriã cum eſt in bello. nã filij Iſrael contra tribum Beniamin prœliantes debellati ſunt,ſed tandem ſperantes in Domino victoriam habuerunt. *Iudicum* 20. Dixit Dauid Philiſtæo *tu venis ad me cum gladio & haſta: ego autem venio ad te,in nomine Domini.* ſperabat enim firmiter per Deum victoriam obtinere,& ſic factum eſt vt habetur *1.Reg.* 17. *vnde pſal. Melius eſt ſperare in Domino,quam ſperare in principibus.*

in ciuitatibus quá in caſtris. *Ioſue per totum.* Temporibus Delboræ Gedeonis & Iephte multi fuerunt occiſi vt, patet *Iudicum* 4.7.11. Interfecto Goliath multi Philiſtæi fuerunt occiſi. 1, *Reg.* 17. Aduerſus Gorgiam, ſex millia hominum peremerunt viginti millia, per auxilium eis datum à Deo 2, *Machab.* 8. Propter prœlia quæ commiſit Iudas Machabeus contra Apollonium & Seron principem exercitus eius multi perierunt, de quibus habetur 1. *Machabæo.* 3. Legitur duodecim habuiſſe victoria. Iudas *ab* 8. *cap. Machabæo*, 2. *vſque ad finem, in quibus multa millia hominũ perierunt*. In primis ceciderunt de his qui erant cum Licanore nouem millia 2. *Machab.* 8. Poſtea de his qui erant cum Timotheo & Bacchide duodecim millia. Conſequenter qui cur Timotheo, 21. millia. Deinde de Iudæis vigintiquinque millia. Item Lyſia, duodecim millia, poſtea in quodam præſidio Timothei decem millia. Item cum Antiocho tredecim millia. Item in Carnon fortiſſima ciuitate duodecim, Item in Ephon vigintiquinque millia. Item cum Nicanore vigintiquinque millia. Item in caſtris Antiochi imperatoris quatuor millia. Numerus occiſorum, 221. millia. Strages hominum aliquando facta eſt iuſto Dei iudicio, & occulto aliquando, de bonis. Nam magnæ ſtrages fuerunt quando illi quatuor reges Sodomitas debellauerunt, & Loth ceperunt, licet eorum numerus non ponatur. *Geneſis decimo quarto.* In diebus Hely quando fuit capta arca,

ſuperbus nolens Deo obedire dixit : *Neſcio dominum, & Iſrael non dimittam.* *Exod* 5. Rebellio & inobedientia Chore & complicum eius ex ſuperbia magna proceſſit. *Num* 16. Superbia & humiliatio ducunt hominem ad locum ſibi deputatum. Nam qui ſe humiliat exaltabitur. *Mat.* 23. *Luc.* 18. *& eiuſdem* 14. Ideo volentes ſuperædificare turrim, habuerunt diuiſionem linguarum. *Gen.* 11. Grauiter fuit punitum peccatum elationis Dauid, quando populum numerauit. 2. *Regum* 24. Amon qui volebat ab omnibus honorari, fuit in patibulo ſuſpenſus. *Heſter.* 7. *c.* Nabuchodonoſor per ſuperbiam depoſitus eſt de ſolio, & gloria ipſius ablata eſt. *Dan.* 4. *cap.* Balthaſar per ſuperbiam interfectus eſt, & Darius ſucceſſit ei. *Dan.* 5. Nycanor ita erat ſuperbus quod vendebat Iudæos antequam eos in cãpo vinceret: & tamẽ fuit debellatus. 1. *Mach.* 7. & 2. *Mach.* 15. Fugatus turpiter Antiochus, de perfidia ſuperbe locutus eſt: ſed Deus percuſſit eũ inſanabili plaga. 2. *Machab.* 19. Herodes ſuperbe indutus, cum populus ei acclamaret laudes diuinas, ab Angelo eſt percuſſus. *Act.* 12. Superbi deſiderant gloriam & honores. Nam Saul petijt coram Samuele, populis, & ſenioribus honorari. 1. *Reg.* 15. Poſiti ad cuſtodiam turris dixerunt: *faciemus nobis grande, &c.* 1. *Mach.* 5. Cõtra gloriantes de primogenitura valet, quod Cain natus eſt ante Abel. *Gen.* 4. Eſau ante Iacob *Gen.* 27. Manaſſes filius Ioſeph antequam Effraim, qui tamen habuit benedictionem dextræ. *Gen.* 48. Dauid fuit minimus inter fra-

tres. 1. *Reg.* 16. Adonias natus est ante Salomonem; & tamen Salomon regnauit. 2. *Reg.* 3. Superbia est causa multorũ peccatorum. Nam voluntas dominandi quam habuit Ieroboam timens, ne populus rediret ad Dominũ, fecit eũ idololatrare, 3. *Reg.* 12. post victoriam habitam de Arphaxat, Nabuchodonosoris cor eleuatum est, & multas gentes & regna destruxit, *Iudith.* 1. Antiochus superbus intrauit in Sancta Sanctorum cum superbia, & accepit altare aureum, vt habetur 1. *Mach.* 1. Alcimus superbe & falso accusauit Iudam & populum Iudæorum, 1. *Mach.* 7. Discipuli cum gloriarentur, dicentes: *Etiam dæmonia subiiciuntur nobis*, Christus respondit: *Videbam Sathanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, scilic. vt vos ad peccata traheret, vt clare habetur *Luc.* 10. Superbi sunt dedignantis naturæ. Nam Abimelech percussus à muliere, vocauit armigerum, dicens: Percute me, ne dicatur quod à fœmina sim occisus. *Iudic.* 9. Nicanor Iudæis dicentibus: *Est Deus in cœlo qui iussit agi diem septimum*, indignatus respondit: *Et ego potens in terra qui impero*, id est, iubeo negotia regis impleri, 2. *Machab.* 15.

Capvt CXXVII.

De Suspicione & falsa Crudelitate.

Suspiciosi sunt vxorum zelatores, mala cogitantes.

Fal-

Falſorum creditores, atq; approbantes:
Bonorum peruerſores, praue comitantes.

SVſpicioſi zelotypi de ſuis vxoribus. Nam cogitauit Abraham quod non erat timor in Gerara & quod occideretur ob vxorem ſuam. *Geneſ.*2?. Poſtquam turbatus eſt Aſſuerus contra Amon, & ille iaceret ſuper lectum Heſter, rogans eum pro ſalute ſua, dixit Rex quod reginam volebat opprimere. *Heſter.*7. Suſpicioſi vt plurimum ſunt falſa credentes. Nam ſuſpicatus Laban, quod Iacob furatus eſſet deos ſuos, ſcrutatus eſt ſupellectilem eius; & tamen erat rectum. *Geneſ.*31. Iacob videns tunicam tinctã ſanguine, credidit Ioſeph eſſe mortuum. *Geneſ.*37. Fratres Ioſeph ducti ad comedendum, crediderunt, quod vellet eos ſubiugare ſeruituti. *Geneſ.*43. Cum iuiſſet Samſon in domum patris ſui, parentes illius crediderunt quod odio repudiaſſet eam, & tradideruut eam alteri. *Iudic.*14. Videntes diſcipuli ambulantem Dominum ſupra mare, putauerũt eum eſſe phantaſma: *Matth.*14. Diſcipuli timebant Saulo adhærere, ſuſpicantes eum non eſſe conuerſum. *Actor.*9. Suſpicioſi omnia bona conuertunt in malum. Nam Heli videns Annam verbum non efferentem, æſtimauit eam ebriam eſſe, 1. *Reg.*1. Miſit Dauid nuncios ad conſolandum regem Amon, ſuper mortem patris: Principes autem ſuſpicati ſunt quod cauſa explorandi veniſſet, 2. *Regum* 10. Cum Ieremias iret ad Beniamin, cuſtos portæ Ierias ei impoſuit, quod ad Chaldæos iret, vt habetur *Hierem. cap.*37.

que quantum sufficere possit: &c. *Exod. 16.* Loquente Moyse populo, cunctus populus audiebat voces, videbat lampades ardentes & montē fumigantem tūc dixit Moyses: *vt probaret nos venit Deus, ne peccaretis. Exod.* 20. Tentat Deus homines seu probat tribulationibus, vtrum patientiam & virtutem habeant. Ideo non deleuit penitus homines de terra promissionis, vt probaret per ipsos Israel an seruarent eius mandata. *Iudicum* 2. Dereliquit Deus Ezechiam vt tentaret, & non fierent omnia quæ erant in corde eius quando venerunt nuncij regis Babylonis ad eum 4. *Reg.* 20. Postquā Tobias fuit cæcatus sustinuit tentationem. Ideo permisit Deus euenire illi vt posteris exemplum eius patientiæ daretur, *Tobiæ* 2. Iudith dixit tempore obsidionis: *Memores esse debetis, quomodo tētati sunt patres, vt probarentur si vere colerent Deum. Iud.* 8. Iob propter multas tribulationes dicebat: *Probauit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit Iob.* 23. *capit.* Tentauit Deus Petrum ambulantem supra mare, per ventum validum scilicet tribulationem. *Matt.* 14.

CAPVT. CXXIX.

De Tentatione à Deo.

Tentare non debet homo Deum.
Se exponendo ad magna pericula cum desperatis,
Semper perdendo temporis curricula cum obstinatis.

TEntare non debet homo Deum exponendo se peri-

ſe periculis cum deſperatione, dicens: Si Deus nõ permiſerit non nocebunt mihi. Ideo Abraham ingrediens Ægyptum prudenter tacuit Saram eſſe ſuam vxorem, ne ſe & illam in diſcrimen poneret. *Geneſ.12.* Simile fecit idem Abraham, vt habetur *Geneſ.*20. Et Iſaac fecit illud idem, *Geneſ.26.* Niſi enim ſic feciſſent, Deum quodammodo tentaſſent, vt dicit ſanctus Auguſtinus *ſuper Geneſim*: Quia ſemel ſuperares filii Iſrael iterum ſe periculis expoſuerunt, tentantes Deum, & ducentes arcam Domini, fuit arca capta, & ipſi debellati, vt patet 1. *Regum 4.* Sciebat Dauid ſe regnaturum poſt Saulem, quia vnctus erat à Samuele: non tamen committebat ſe diſcrimini, ſed cuſtodiebat ſe vt debebat. 1. *Regum* 26. Cum piſcis inuaſiſſet Tobiam, non expectauit vt angelus eum eriperet, ſed ipſemet ſe iuuit, & branchiam apprehendens, tenuit piſcem, cum tamen angelus eum cito liberare potuiſſet, vt habetur *Tob.6.* Saluator tentatus vt ſe de pinnaculo præcipitaret, reſpõdit diabolo: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, &c. Scriptum eſt enim: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, potuiſſet enim aliter deſcendere, & non exponere ſe periculo, vt habetur *Matth.4. Luc.4.* Paulus cum poſſet expectare & miraculoſe euadere, voluit tamen per ſportam ſubmitti de muro. *Actor.9.* Item cum tribunus vellet eum facere torqueri, dixit ſe eſſe ciuem Romanum. *Actor.* 22. Item cum haberet iniquum iudicem Cæſarem appellauit, vt habetur *Actor.25.* Tentat Deus obſtina-

stinatos & peccatores, tempus eorum perdentes, sicut populus Israel multotiens tentauit Deum in deserto, *Numer.* 8. Oziam qui statuit populo terminum, reprehendit Iudith, dicens: *Qui estis vos, qui tentatis Deum, Iudith* 8. Iudæis quærentibus, si liceret censum dare Cæsari, vt Iesum caperent in sermone, reprehendit eos Iesus, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi nũmisma census.* cognouerat enim eorum nequitiam, vt patet *Matth. cap.* 22. Cum eiecisset Iesus dæmonium, & locutus est mutus, quidam tentantes eum, quærebant signum de cœlo. *Matth.* 16. Petrus increpans dure dixit Saphyræ vxori Ananiæ: *Quid conuenit vos tentare Spiritum sanctum*, vt patet *Act.* 5.

CAPVT CXXX.

De Tentatione diaboli.

Tentationi diaboli
Non est credendum: quia sagaciter cum fraudulentia habet offerre,
Non est credendum: quia mendaciter verba latentia habet proferre
Non est obsequendum: quia tenaciter cum violentia habet inferre,
Sed resistendum pertinaciter, cum prudentia illa perferre.

TENTAT diabolus sagaciter & cum fraudulentia, nam in serpente callide humanum genus

Christus in sua tentatione quando fuit tentatus à tribus, scilicet Gula, Superbia, & Auaritia, ad quæ possunt omnes aliæ tentationes reduci, ipse ostendit non per potentiam, sed sapientiam, & Scripturæ verba, vicit, & vincere nos docuit. *Matth.4.*

CAPVT CXXXI.

De Timore Domini.

Timere debet homo Deum:
Vt posit subsistere in perfectione, ne decipiatur.
Vt posit desistere ab offensione, ne illaqueatur,
Vt posit persistere in perfectione, vt lex impleatur,
Vt posit resistere, ne punitione graui puniatur.

TImere debet homo semper Deum, quia vsque ad beatitudinem confirmatus non potest esse homo securus; nam angeli in cœlo & primi parentes in terrestri paradiso peccauerunt, vt patet *Genes.3. & Esa.4.* Loth qui inter pessimos peccatores fuit bonus, tamen postquam exiuit, inebriatus cũ filiabus peccauit. *Genes.19.* Timor Domini facit hominem à peccato desistere, & peccata cauere. Ideo credidit Abraham, quod Abimelech faceret eum occidi propter Saram, dicens: *Cogitaui quod non esset timor Dei in loco isto. Genes.20.* Obstetrices Deum timuerunt, ideo non necauerunt filios Hebræorum, *Exod* 1. Iunior Tobias qui exercebat nuptias cum timore Dei, non intrauit ad vxorem vsque ad diem tertium. *Tob*, 8. Eleazarus noluit ve-

tita manducare, sed tormentatus ait: *Domine propter timorem tuum libenter hac patior*, 2. *Machab*.6. Timor Domini causa est quod homo bene operetur, & diligat Deum; ideo voluit Dominus filijs Israel timorem incutere & legem cum tonitruis & igne dare. *Exod*.20. Abdias dispensator domus Achab, quia timebat Dominum, absondit Prophetas, & pauit eos, cum Jezabel volebat eos occidere, 3 *Reg* 18. Iosaphat docuit iudices, vt timor Domini esset inter eos, si bene vellent regere populum, dicens: Consule obsecro in præsentiarum sermonem Domini, 2. *Par*. 18. & 3. *Reg*. 13. Plus timens Tobias Dominum quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & sepeliebat eos, vt patet *Tob*. 2. Iudith vidua, quia timebat Dominum, sic operabatur vt nullus loqueretur de ea malum verbum, *Iudith. per tot*. Item aliqua de quibus commendatur Iob, quod esset bonus, iustus & timēs Deum. *Iob*. 1. Viri timorati sepelierunt Stephanum, quod est opus misericordiæ, *Act*.8. De cōuersione Cornelij dixit Petrus: *In omni gente, qui timent Deum operantur iustitiam*. *Act* 10. Timorem Domini non habentes grauiter puniuntur. Nam omnes quos misit rex Babylonis ad inhabitandam Samariam, non timuerunt Deum: & misit Deus leones qui interficerent eos, 4. *Reg*. 17. Ionas qui Deum non timuit, tempestatem meruit: quod nautæ videntes timuerunt Deum, *Ion*. 1. Ob hanc causam dixit Dominus: *Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam*, &c. *Matth*. 10. Si tam grauiter

puni-

punitus est seruus, qui non timens Deum non multiplicauit talentum; quid fiet de illis qui omnia bona sua viuendo luxuriose dissipant, vt patet *Matth.* 25. Valde grauiter puniuntur illi qui opera iniquitatis perpetrarunt, Deum non timentes: quomodo ergo punientur qui opera pietatis & misericordiæ non exercent, *Matth. cap.* 25.

CAPVT CXXXII.

Timor malorum de bonis,
Timent mali bonos,
Scientes adesse pugnatoris præsentiam,
Videntes inesse punitionis sententiam.

TIment mali bonos, quia sciunt Deum esse cũ eis, & pro eis pugnare; ideo dixit Abimelech ad Abraham: *Dominus tecum est in cunctis, quæ agis, iura ne noceas mihi. Gen.* 21. Ægyptii insequentes filios Israel, dixerũt: Fugiamus Israel quia Dominus pro eis pugnat cõtra nos. *Exod.* 14. Vidẽs Saul quod Dominus esset cũ Dauid, cœpit timere eũ. 1. *Reg.* 18. Herodes timebat eũ, sc. Joannem, sciens eum esse iustum & sanctũ, & amicum Dei. *Matth.* 14. *Marc.* 6. Timent mali bonos, propter vindictas & vltiones quas vident fieri ipsis, vel à Deo pro eis. Nam princeps quadragenarius, qui tertiò venit ad Eliam, reuerenter locutus est ei: quod quia non fecerunt alij duo, fuerunt ab igne consumpti, vt habetur 4. *Reg.* 1. Cum cõpletus esset murus in Hierusalem, timuerunt omnes gentes per circuitum, *Neem.* 6. Cecidit timor Iudæ & fratrũ eius propter

eorum victorias ſuper omnes gentes, & peruenit ad regem, 1.*Mach*.3. Audierunt aduerſarii quę operatus eſt Ionathas in bello, & timuerunt, vt patet 1.*Reg*.4. Poſtquam Lyſias fuit debellatus à Juda voluit cum eo pacem facere, promittens omnia ſe facturum, vt patet 2.*Mach*.11. Poſt mortem terribilem Ananiæ & Saphirę, erant diſcipuli in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat coniungere ſe illis, ſed honorabat eos populus. *Actor*.5. Facto terræmotu Paulo & Sila exiſtentibus in carcere, cuſtos carceris tremefactus cecidit. *Actor*.16.

Capvt CXXXIII.

De Tyrannorum nequitia.

Tyrannorum nequitia apparet,
Cum nituntur extirpare excellentes, eos deprimēdo,
Mentiuntur ſe amare ſubiacentes, multa promittendo,
Moliuntur lacerare impotentes, eos occidendo,
Perſequuntur eos dare corrigentes, pœnas inferēdo,
Amplectuntur valde chare delinquẽtes, iuſtos affligendo,
Illabuntur tormentari innocentes, malis complacendo.

Tyrannorum nequitia eſt: quia nituntur omnes quos regnare & proſperare timent, opprimere. Ideo Pharao varias vias inuenit vt poſſet extin-

extinguere filios Iſrael,homines affligendo laboribus,& filios eorum ſubmergẽdo, vt patet *Exod. 1.* Abimelech filios Gedeonis, vt ſolus dominaretur,occidit ſeptuaginta fratres ſuos, *Iudith.9.* Poſt multa beneficia à Dauid percepta Saul quærebat eum ad mortem,& occaſione ipſius,occidit 85 Sacerdotes,1. *Reg.*22. Tyranni delectantur in crudelitate. Nam ſeptem reges amputatis manuum & pedum ſummitatibus, faciebat Adoniboſeth colligere ſub menſa reliquias. *Iudic.1.* Manaſſes Rex Iuda effudit ſanguinem innocentum;& impleuit Hieruſalem cruore occiſorum innocẽtum. 4. *Reg.* 21. Quamuis habitatores vrbium exirent honorare Holofernem, ferocitatem tamen eius non mutauerunt, *Iudic.3.* Amon magis crudeliter procurabat omnes Iudæos occidere, quam ſoli Mardochæo parcere. *Heſt.3.* Nabuchodonoſor fecit crudeliter ſocios Danielis mitti in fornacem. *Dan.3.* Effuſiones ſanguinis & multa alia & crudelia leguntur de Antiocho, *1.Mach.*1. Comprehẽſos Antiochum & Lyſiam Demetrius noluit videre, ſed iuſſit occidi. 1 *Mach.6.* Nimiam crudelitatem fecerunt tyranni miſſi ab Antiocho in Eleazarum & ſeptem fratres. 2. *Mach.6. & 7.* Tyranni proditores ſunt, & quæ promittunt non ſeruant: Nam Pharao multa nequiter Moyſi promiſit, quæ poſtea non ſeruauit,ſed in contrarium vertit. *Exod.6.* 7.8. Nequiter ex proditione Tryphon occidit Jonathan cum duobus filiis 1. *Mach.13.* Herodes ſimulabat ſe velle adorare Chriſtum,ſed cũ volebat

citionem quæstuariorum magistratus fecerunt Paulum & Silam flagellari, *Act.* 16.

Caput *CXXXIV.*

De Tribulationibus & earum effectibus.

Tribulationum effectus sunt,
Patientes confortare, adducendo consolationes,
Delinquentes demonstrare, ostendẽdo deuiationem.
Pœnitentes animare, inducendo contritionem
Sustinentes exorare, remouendo indignationem
Promerentes coronare, conferendo præmiationem.

TRibulationem libenter & patienter portãtes sequitur consolatio & prosperitas. Nã Ioseph plus creuit & prosperatus est in exilio, quam si fuisset inter fratres suos in domo. *Gen.* 41. Quanto magis Pharao filios Israel affligebat, tanto plus multiplicabantur & crescebant. *Exod.* 1. Heliã persecutum à Iezabel angelus confortauit, & panem & aquam ei attulit, 3. *Reg.* 19. Excæcatum & derisum Tobiam Dominus multipliciter consolatus est. *Iob.* 2. & 10. Iob sustinuit tribulationes in rebus, in filiis, & in proprio suo corpore. Nam rebus fuit spoliatus, filiis fuit orbatus; in persona vel in corpore fuit à diabolo flagellatus, in anima, verbis vxoris & amicorum iniuriatus: & quia hæc omnia patiẽter portauit multas inde consolationes diuinas & temporales recepit, vt patet *Iob. per tot.* Ezechiel in medio captiuorum vidit mirabiles visio-

nes, vbi fuit multipliciter lætatus. *Ezech. 1.* Pueri in camino receperunt angelicam consolationem, cum quibus Nabuchodonosor vidit similem filio Dei, *Dan. 3.* Vnde per Psalmistam dicit Dominus: *Cum ipso sum in tribulatione*, &c. Tribulationes veniunt propter peccata hominum. Ideo fratres Ioseph dixerunt: *Merito hæc patimur. Genes. 42.* Quia post obitum Iudæ Machabæi, surrexerunt iniqui & peccatores, facta est fames magna. *1. Machab. 9.* Tribulationes inducunt homines ad pœnitentiam & contritionem. Nam filij Israel afflicti à serpentibus dixerunt: *Peccauimus. Numer. 21.* Videns Dauid contritionem propter peccatum elationis suæ, humiliter cognouit culpam suam, & egit pœnitentiam, *2. Reg. 24.* Nabuchodonosor commutatus in bestiã recuperauit sensum, & pœnitens laudauit Deum quẽ ante blasphemauerat. *Dan. 4.* Antiochus dum esset sanus, fuit homicida, sed percussus, pœnituit & Deum laudauit. *2. Mach. 11.* Tribulationum remedium est oratio. Nam in tempore tribulationis clamauerunt ad te, & exaudisti eos, *Numer. 9.* Susanna in damnatione mortis posita, non habens recursum ad humanum adiutorium, flens orauit & suspexit in cælum; sicut auis à canibus circumdata & in terra posita non habet refugium, nisi eleuet se in altum, & volet versus cœlũ, *Dan. 11.* Tribulationes permittit Deus sustinere bonos à malis, vt magis mereantur. Nam pro veritate quam Hieremias populo prædicabat, fuit percussus & incarceratus. *Hierem. 32. & 38.* Decre-

tum iniquum erat factum ab impiis, vt omnes cruciarentur, qui sacrificare nolebant, *2. Mach. 6.* Natus in mundo Dominus, cito est passus pressuram ab impiis, quando compulsus est fugere in Ægyptum, *Matth. 2.* Lapidato Stephano, facta est persecutio in Apostolis, & dispersi sunt per mundum ad prædicandum. *Actor. 8.* Post suam conuersionem Paulus passus est multas tribulationes à Iudæis, & submissus est in sporta per murum. *Act. 9. 2. Cor. 11. in fin.* Item Paulus & Barnabas eiecti sunt de finibus Persidis, excusso puluere de pedibus, *Act. 13.* In ciuitate Lystris cum ante hilariter receptus esset, postea lapidatus est Paulus, *Act. 14.* Occasione puellæ curatæ Paulus & Silas sunt cæsi & incarcerati, *Act. 16.* Multas tribulationes alias & persecutiones eius require *in Act. Apostolorum vsq; ad fin.* Ab aduentu Spiritus sancti vsque ad persecutionem Ioannis sub Domitiano, fluxerunt multi anni. Et illo tempore Ioannes non habuit tot & tantas rebellationes & tribulationes, nec tantum Ecclesiæ profuit quantum quando fuit in exilio in Pathmum relegatus, *Apoc. per tot.*

CAPVT CXXXV.

De Veritate, quæ odium parit.

Veritas parit odium,
Si de odientibus quis bona loquatur,
Si de delinquentibus quisquam corrigatur.

Si peruersis gentibus quis commisceatur.

IAm primo veritas parit odium, quando quis bonus dicit bonum de inimico illius cui loquitur. Nam Balaath rex Moab multum dolebat quando Balaam benedicebat populo Israel licet hoc verum esset, nec tantum eum honorauit quãtum decreuerat honorare, vt patet *Numer*, 24. Iratus est Saul contra Ionathan, quia veritatem dicebat excusando Dauid. 1. *Reg*. 20. Cum veritatem dixisset Achior de populo Israel, indignatus Holofernes voluit eum occidere. *Iudith*. 5. Veritas parit odium, quando reprehenduntur & corriguntur mali. Ideo Ionathan filius Gedeonis fuit interfe-ctus ab Abimelech, quando dixit veritatem, arguendo eum. *Iud*. 9. Cum propheta increpasset Regem Asa, iratus rex iussit eum mitti in neruum. 2 *Paral*. 16. Sedechias incarcerauit Hieremiam, qui arguebat eum, & prædicabat veritatem. *Hierem*. 38. Quia Ioannes Baptista arguebat Herodem, ideo pro veritate iussus est decollari. *Matth*. 14. *Marc*. 6. Oderant Pharisæi veritatem Christi loquentis & reprehendentis hypocritas. *Luc*. 14. *Matth*. 23. Veritas parit odium in malis hominibus, propter eorum peruersitatem. Nam quando Hieremias prædicabat veritatem, missus est a peruersis in lacum vbi non erat aqua. *Hierem*. 38. Pro eo quod Daniel ostendit Bel & dracones non esse deos, missus est à peruersis inter leones. *Dan*. 14. Ex verbis veris Eleazari in iram versi sunt impii, qui in eum fuerãt mitiores, *Mach*. 6. Principes Sacerdotum denunciaue-

clauerunt Apostolis, ne in nomine Iesu veritatem loquerentur. *Actor.5*. Audientes Pharisæi & Iudæi verba Stephani dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus in eum. *Act.6*. Multos aduersarios habuit Paulus pro veritate, quã prædicabat. *Act.9*.

CAPVT CXXXVI.

De Vnitate, Concordia, & communi Consensu.

Vnitas & Concordia,
Est Deo placabilis atque gratiosa:
Malis est odibilis, bonis preciosa:
In bello terribilis, & victoriosa,
Si quis eligibilis, nec est fructuosa:
Vita perfectibilis & religiosa.

VNitas multum placet Deo & ipsi plurimum grata est; ideo ex vno homine voluit humanũ genus exire: ad ostendẽdum quantum gratum sit ei vnitas in pluribus. Vnde dicit *Aug.* Creare voluit vnã: vnde multitudo propagaretur vt hac munitione vnitas in multis seruaretur. *Gen.1.* Vniti debent esse homines ad bonũ, & non ad malũ. Vnde populus Israel vnitus fuit ad recipiendam legem. *Exod.9.* Auditis à Moyse verbis legis, respondit cũctus populus vna voce: *Cũcta quæ locutus est Dominus, faciemus. Exod.24.* Ad faciendum templum & vestes sacras mysteriorum, obtulit populus vnanimiter necessaria. *Exo.36.* Cõgregatus est omnis Israel quasi vir vnus ad plateam, & dixerunt Esdræ

vt afferret librum legis. *Neem.* 8. Cum exposuisset Achior verba Holoferni, omnis populus cõmuni locutione & lamentatione & fletu Domino preces, effundebat. *Judith.* 6. Vniti & non diuisi sunt homines in bello temporali & spirituali. Nã congregatus est omnis Israel quasi vir vnus, ad succurrendum & prælландum & vindicandum stuprum vxoris Leuitæ. *Ind.* 20. Egressi sunt omnes quasi vir vnus, ad succurrendum fratribus in Iabes & Galath, 1. *Reg.* 11. Vniti debent esse clerici & seculares in electione. Ideo venerũt vniuersę tribus Israel ad Dauid in Ebron, vt vngerent eum super Israel regem, 2. *Reg.* 5. Post mortem Iudæ congregati sunt omnes vnanimiter, & dixerunt Ionathæ: *Te elegimus nobis hodie in principem.* 1. *Mach.* 9. Vniti & vnanimes debent esse Clerici, & Apostolici viri; ideo post ascensionem Domini erãt omnes discipuli in oratione: & sic inuenit eos Spiritus, & intrauit corda eorum. *Act.* 1. Omnes qui credebãt erant omnes simul pariter & habebant omnia cõmunia, *Actor.* 2. & 4. Punitis Anania & Saphira factus est timor in Ecclesia, & erant vnanimes in porticu Salomonis. *Actor.* 5.

Capvt CXXXVII.

De Voto & eius consensu.

Votum & eius obseruantia,
Repletio tormentorum habet reficere,

Discre-

Discretio vouendorum habet afficere,
Impletio promissorum habet proficere.

VOtum vouere debent in tribulationibus oppressi, vt à tribulationibus liberentur. Nam Iacob fugiens persecutionem votum vouit, dicẽs: *Si fuerit mecum*. Genes. 28. Debellato Israel & ablata præda, votum vouit Israel Deo, & postea victor fuit. *Num.* 21. *&* *Iudith.* 20. Viri qui erant in naui cũ Iona tẽpore tempestatis timentes immolauerunt hostias, & vouerunt votũ Domino. *Jon.* 1. Antiochus postquam percussus est à Domino insanabili plaga, vouit se mirabilia facturum. 2. *Mach.* 9. Votũ indiscretum non debet homo facere, & si faceret, non debet seruare. Tale votum fecit Iephthe quãdo promisit imolare, quod primo ipsi occurreret. *Jud.* 11. Pro indiscreta & mala causa vouit Absalon, volens rebellare patri. 2. *Reg.* 15. Crudele votum & impium fecerunt Iudæi dicentes. *Deuotione vouimus nos nihil gustare, donec occidamus Paulũ,* Act. 23. Votũ facientes debent votum reddere; ideo Anna quæ vouit pro filio obtinendo, statim cũ obtinuit filiũ, adimpleuit votum quod vouerat. 1. *Reg.* 1. Lætatus est populus, cum votum spõte promitteret: quia toto corde, quæ vouerant Deo offerebant, 1. *Paral. vlt.* Aza rex Iuda quæ vouerat pater suus, obtulit in domum Domini aurum & argentum, vt ostendatur quod vota patrum debẽt reddere filii & hæredes, 2. *Paral.* 15. Rex Artaxerxes præcepit Esdræ & populo vt facerent munera, quæ promiserãt Domino. 1. *Esdr.* 7. *&* 8. Omnis populus post victo-

victoriam venit in Hierusalem, & tulerunt holocausta & vota sua. *Judith.16.* Heliodorus flagellatus & per orationem sanatus hostias oblatas votis reddidit. 2. *Mach.3.*

Caput CXXXVIII.

De Zelo bono contra peccatores.

Zelus bonus est, acriter arguere palam delinquentes, Grauiter irruere in transgredientes.

Zelus bonus est, arguere acriter publicè delinquentes. Nam videns Neemias onera portantes & vxores ducentes alienigenas, obiurgauit eos & acriter arguit. *Neem.13.* Confidenter arguit Helias errantem populum, & Prophetas Baal fecit occidi. 3. *Regum* 18. Onias Sacerdos viriliter arguit & restituit Simoni volenti aliquid in ciuitate moliri, 2. *Mach*, 3. Miro zelo feruebat Ioannes Baptista, dicens: *Genimina viperarum.* Matth.3. *Luc.* 3. Et etiam arguendo Herodem dicens: *Non licet tibi fratris tui vxorem,* &c. Matth.14. *Marc.* 6 Dure increpauit Dominus Scribas & Pharisæos dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi.* *Matth* 23. Et ardenti zelo Stephanus arguebat Iudæos dicens: *Dura ceruice,* &c. *Act.*7. Paulus cum feruore reprehendit Elymam, quando dixit: *O plene omni dolo & omni fallacia.* *Actor.*13. Zelus bonus est etiam vlcisci & punire acriter in iniuriam Dei delinquentes; ideo seruiebant filij Iacob obstupram Dinæ oppressæ, & acriter Sichem & oppressores punierunt. *Gen.* 34. Moy-

84. Moyſes iratus eſt de vitulo facto à populo, & tabulas confregit, & populum arguit, & eos acriter puniuit. *Exod.* 32. Multum placuit zelus Domini quem habuit Phinees quando transfodit adulterantes. *Num.* 25. Præcepit Ioſue Achior lapidari, & ſupellectilem comburi, quia tulerat de anathemate. *Ioſ.* 7. Grauiter vindicauerunt filij Iſrael ſcelus in vxorem Leuitæ. *Iud.* 20. Licet Jehu Rex fuerit malus, tamen laudatur quãdo domum Achab deſtruxerat & aram Baal deleuit, 3. *Reg.* 10. Magnus erat zelus Mathatiæ, qui trucidabat homines ſuper aram. 1. *Mach.* 2. Plures eiecit Dominus vendentes & ementes de templo, facto flagello de funiculis. *Ioan.* 2. *Luc.* 19. Grandi zelo accenſus eſt Petrus in Ananiam & Saphiram. *Act.* 5.

CAPVT CXXXIX.


De Zelo indiſcreto.

Zelus indiſcretus eſt,
Quando procedit non ex lætitia charitatis, ſed ex inuidia,
Non ex iuſtitia æquitatis, ſed ex diſplicentia,
Ex amicitia vanitatis, non ex prouidentia.

ZElus indiſcretus eſt, quãdo non charitate, ſed ex inuidia mouetur. Sicut Ioſue videns duos prophetantes in caſtris, voluit vt Moyſes prohiberet eos. *Num.* 11. Male zelabãt Phariſæi pro obſeruatione Sabbathi, quando ex inuidia arguebãt Chriſtum curantem ægrotos. *Matth.* 12. *Luc.* 14.

Ioannes Euangelista prohibuit quendam eiicientem dæmonium, quia non sequebatur Christum, *Luc. 9.* Zelus indiscretus & malus est quando correctio non procedit ex iustitia, sed ira vel vindicta. Sic Abisai qui voluit amputare caput Semei maledicentis Dauid: sed Dauid non permisit. 2. *Reg.* 18. Ionas iratus propter hæderam desiccatam, volebat vt Deus destrueret ciuitatem. *Ion.* 4. Iacobus & Ioannes irati, quia nuncii Domini non fuerunt recepti voluerunt, vt ignis de cœlo descenderet, & consumeret non recipientes: sed Christus reprehendit eos. *Luc.* 9. Arguit Christus Petrum, qui amputauit auriculam seruo: quia non erat tempus vindictæ, sed patientiæ. *Matth.* 26. Zelus indiscretus est, quando est inordinatus amor ad personam vel ad ritum. Filii namque Prophetarum faciebãt quæri Heliam in aliquo monte vel in valle, cum eum Dominus assumpsisset. 4. *Reg.* 2. Cum Dominus diceret, se passurum, audiens Petrus increpauit eum, dicens: *Absit hoc à te.* Matth. 16. Pharisæi plus zelabant detractionibus suis, quam diuinis mandatis. *Matth.* 25. Æmulator erat Paulus paternarum traditionum, quando accepit epistolas vt persequeretur Christianos, vt patet *Act.* 9. & 17.

FINIS.



1-7-4-2